



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Tractatus III. De reliquis materiis de peccatis concernentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

RESPONDETUR. Deum non posse prohibere prædictum actum, quia id solum potest prohibere, quod si fiat, malum erit. si autem actus ille fiat, malus non erit. quia ex eo ipso quod importat, non vult se opponere virtuti subdendi se prohibitioni, & tamen non subderet se prohibitioni. Ergo impossibile est illum prohiberi. Videantur in simili dicta de Actibus humanis.

DICES 2. Potest aliquis dicere, volo me opponere omni virtuti, & tamen hic actus non habebit malitiam v. g. homicidii.

RESPONDETUR. Illo actu, illas malitias

contrahendas, quæ erunt præcognitæ; potest autem non repræsentari homicidium, haberetque ille actus plures species materialiter, sed non plures diversas speciales, nisi fortè illæ sint præcognitæ & volitæ, modo qui est requisitus.

DICES 3. Etiam si nulla esset virtus, adhuc essent peccata. Ergo illa non desumunt speciem à virtutibus.

RESPONDETUR. Saltem ex suppositione desument specificationem ab oppositione virtutibus. Sicut ex suppositione auri, datur specificatio physica actionis ablativæ auri.

TRACTATUS III.

De reliquis Materiam de Peccatis concernentibus.

Pauca supersunt, quæ alibi tractata non sint.

DISPUTATIO IV.

De Causis, subjecto, & Poenis Peccati.

Nocipiemus à causis, de quibus secundum methodum Aristotelis, debuisse etiam tractare prius, quam de effectu, hoc est, de ipso peccato: cum tamen de ipso peccato sit præmissa tractatio. sed non recedendum fuit à methodo communi, vel ob hoc ipsum, quia de Causis peccati, v. g. præcognitione, libertate, &c. jam alibi dictum.

QUÆSTIO I.

De Causis Peccati.

Non hic agetur de Causis peccati tenentibus se ex parte ipsiusmet creaturæ rationalis, qualis est in homine rebellio passionum, libertas, habitus mali &c. Nam de his quæ in hac materia disputabilia sunt, alibi agitur. nec agitur de causis peccati, tenentibus se à parte ipsius Dæmonis. hæc autem primâ divisione, duplices possunt esse. Primò extraneæ omnino. ut cum extrinsecum aliquod objectum industriâ illius præsentatur. quod est moraliter occasio mali. Secundò intraneæ. quod ipsum dupliciter facit, suggestionem & commotionem appetitus Sugge-

stionis nomine, duo venire possunt. Inprimis, injectio cogitationis, qualem Aristoteles putavit proficisci à bona vel mala fortuna, Theologi quæ illas appellant, quod sint in nobis sine nobis. Sed est difficultas, An injectio cogitationis ejusmodi sit intra Sphæram agendi Angelos concernentem. Si spectetur Auctoritas Patrum, & multæ illorum phrasæ, quibus dicunt, Angelos bonos nos dirigere, monere, consulere, &c. facile dari potest vis etiam dæmoni consultiva mali, adeoque vis suggerendi. Thomistas malè habet hic modus explicandi suggestionem: quia dicunt: Solius Dei esse in animam nostram illabi. citantq; pro hoc S. Thomam. Sed nomine illapsus bene venire potest injectio cogitationis cum prævisione infallibili, & intentione infufragabili, actu secuturi effectus, dirigendo scilicet infallibiliter. & hoc nulli competit, nisi soli Deo. Quamvis autem hæc ratio Thomistarum non evincat. habet hoc difficultatem. quod non appareat, quomodo vel coëfficiat, vel determinare possit nos dæmon ad ponendam hanc & nunc, hanc vel aliam, cogitationem?

(G) 4 nem?

nem: cum etiam Angeli illuminantes alios non comproducant illuminatorum notitias, nisi presentando objectum: nobis autem unitis corporali presentatio objecti fieri non potest, nisi dependenter à sensibus. hanc autem suggestionem, vellent aliqui omnino intraneam ponere. Unde jam recurrunt alii ad excitationem specierum. sed & de hac excitatione est difficultas, nisi fiat per propositionem extraneam objecti. Nam si, ex probabilis sententia, non habet Angelus vim noscendi species alienas, præcipue actuum liberorum, qui habebit vim excitandi easdem. Hinc restat modus ut recurratur ad commotionem humorum, iisque commotis ad commotionem phantasie & appetitus sensitivi, eoque mediante suggerit intellectui, & appetitui rationali malum dæmon.

Quod tamen non solus dæmon sit causa peccati, Ipsa scriptura ostendit, quæ docet, unumquemque tentari à sua concupiscentia abstractum & illicitum & fundatur hoc ulterius in hoc principio: quia objectum delectabile, potest aliunde presentari, quam à directione dæmonis, cui pro sua libertate potest voluntas peccaminosa consentire. non ergo hoc debet rejici semper in dæmonem. Ordinariè tamen & ipse in hoc adlaborat, ex appetitu ad perdendum nos. Difficilius tamen ad peccata ut vocant merè spiritualia: quia non est in ejus potestate, expedite nosse inclinationes ad hoc, hic & nunc objectum. Nec agitur de Causis peccati, tenentibus se ex parte aliorum hominum, qui possint esse causa per modum occasionis; hæc enim sunt considerationis Theologiæ moralis. Nec agitur hic de causis peccati, in quantum unum causat aliud imperando, demeritoriè, dispositivè, suppeditando materiam, finalisando, ut cum quis ad solvendum homicidii furatur, vel radicando peccata, quæ radicata vocantur capitalia.

Hinc tractabimus non nisi, quare, cum voluntas creata sit causa peccati. Deus tamen non sit causa, cum & possit impedire si velit, & non impediat; imò concurrat ad unumquemque actum. Supponit autem Tractatio quod Deus non sit causa peccati: nam id & fides statuit, & ratio probat, petita ex infinita illius sanctitate, & quâ major dari non potest. major autem esset illa quæ non esset causa peccati. Et inde crevit illud Axioma: Deum permittere non nisi peccata. quod expressit Aug. tr. 53, in Joan. *Fecerunt Iudæi peccatum. quod ejus non compulsi facere cui peccatum non placet, sed facturos esse prævidit, quem nihil lazet.*

DICES ex Oviedo. Quamvis Deus sit Causa boni operis & meriti. non dicitur mereri. Ergo etiam quamvis esset causa peccati, non diceretur peccare.

RESPONDETUR. Sicut hoc, quod est Deum esse causam boni operis, quamvis non denomi-

net Deum merentem; ita si esset causa peccati, quamvis non denominaretur peccans, adhuc hoc esset vituperabile & oppositum ejus sanctitati. Dispar. est ex Oviedo. Ad bene operandum non sufficit effectum esse bonum, sed debet ex bono illo fine intendi ad peccandum autem non requiritur malus finis, imò etiam ex bono fine fiat, voluntas exercendi contrahit malitiam peccati. Hæc diffusius vide in Auctore.

DIFFICULTAS I.

Quasi per Alios Deus non sit Causa Peccati?

RESPONDENT aliqui 1. Ideò Deum non esse causam peccati: quia illius sanctitas non est capax peccati.

CONTRA. Tum quia. Etiam sanctitate Dei posita, sunt aliqua quæ si Deus per impossibile faceret, per impossibile peccaret. Ergo cum de facto concurrat ad peccandum, non ex eo non peccat, quia illius sanctitas non est capax peccati: Si ipse concursus ad peccatum sit peccaminosus. si autem ille concursus non sit peccaminosus, de hujus rationem. Tum quia. Si Deus mentiretur, hoc ipso sanctitas illius esset capax peccati. Ergo etsi concurrat ad peccatum, hoc ipso sanctitas illius erit capax peccati; & quæcunque disparitatis ratio allata fuerit, ea potius ostendet (si sit legitima) cur Deus non sit causa peccati. Tum quia. Si de aliquo dicitur verè, concurrat ad peccatum non potest de illo revelari, quod sit incapax peccati. cum concurrere ad peccatum sit peccare: est enim hoc coëfficeret defectuosum. Ergo etiam si dicatur de Deo verè quod concurrat ad peccatum, non potest de illo revelari, quod sit incapax peccati. Ergo cum revelatum sit Deum esse incapacem peccati, ne fiat contradictorius assensus, dici debet illum non concurrere immediate ad peccatum. quod tamen dici non potest: ex eo enim quia causa prima est, debet concurrere ad omnes actiones creaturarum.

RESPONDENT 2. alii cum Valq. Deum non esse causam peccati: quia solum concurrat ad illud ut causa naturalis, non verò ut causa moralis; concurrat quidem ut causa naturalis: quia solum concurrat offerendo concursum indifferenter ad utrumlibet determinabilem: non concurrat autem ut causa moralis, quia Deus ad peccatum non utitur suâ libertate, sine libertate autem causa moralis non stat, sed concurrat ut causa naturalis ex suppositione Decreti prioris, quo decrevit concurrere ad utrumlibet partem.

CONTRA est. Tum quia. Ideò non concurrat Deus ad peccatum ut causa moralis: quia non utitur circa peccatum suâ libertate, sed totam determinationem remittit ad libertatem arbi-

arbitrii. Sed hoc Deum non eximit à ratione causæ moralis: quia saltem eadem difficultas manet, quomodo Deus sine peccato determinavit se etiam ad actiones peccaminosas concurrere. Cumque prævideat cum illo auxilio indifferenti securam actionem peccaminosam, sitque in expedito aliud auxilium offerre, quomodo non offerens aliud, & cum hoc concurrere ad peccatum, non est causa peccati? Tum quia. Etiam si aliquis immediate non utatur sua libertate, alliget tamen suam voluntatem, ad male agentis voluntatem, volens coagere quod ille egerit, verè peccaret. Ergo per hoc præcisè, quod Deus immediate non utatur sua libertate, salvari non poterit, quominus peccet. Tum quia. Usus libertatis Divinæ circa ipsum peccatum immediatus argueret in Deo peccatum. Ergo & usus libertatis Divinæ circa ipsum concursum: liberè enim concurrat, arguet in Deo peccatum.

RESPONDENT 3. alii cum Suar. Deum non esse causam peccati: quia formalis ejus malitia non est quid positivum, sed privatio debitæ rectitudinis. si ergo privatio est, nihil est. si nihil est, à Deo causari non potest.

CONTRA est. Tum quia. Si ex eo Deus non est causa peccati: quia non est causa consequentis privationis, nec creatura erit causa peccati, quod probatur. Aque quod est nihil à creatura causari non potest, ac à Deo, nihil enim causare, est non causare. Tum quia. Quando duo ita se habent, ut quod producit unus, producat & alius, tunc si unus est causa illius, & alter est causa illius; sed quidquid est in peccato quod producit creatura, producit & Deus. Ergo si creatura causat peccatum, causabit & Deus. Tum quia. Causari aliter privatio non potest etiam ab homine, quàm ponendo illud materiale, & positivum, quo posito consequitur illa privatio. tunc quæro: vel causat Deus illud positivum, quo producto consequitur peccatum, vel non causat. si causat. Ergo est causa peccati: quia est causa illius positivi, quo producto consequitur formale peccati. si non causat. Ergo ad actiones creaturarum immediate non concurrat. Tum quia. Ponere causalitatem peccati, & causare peccatum, si illud sit quid positivum, si privativum, est idem. Deus ponit causalitatem peccati: quia eadem est actio agentis secundi, & agentis primi: sed ponitur causalitas peccati agentis secundi. Ergo & ponitur causalitas Agentis primi. Tum quia. Hoc quod dicitur, nempe privationem illam consequi operationem positivam, non ut est opus Dei, sed ut opus est creaturæ: hoc inquam, quod dicitur, non convincit. Quia istud prout opus creaturæ, & istud prout opus Dei, non sunt quid distinctum physice & realiter: quomodo ergo, si idem sunt nemine cogitante, hoc quod convenit uni nemine cogitante, non convenit

alteri. Deinde hoc opus prout creaturæ, est adhuc opus Dei, ita ut in illud immediate influat, & causet illud Deus. si illud opus, prout creaturæ, est adhuc opus Dei. Ergo adhuc Deus erit causa peccati: ideo enim creatura est causa peccati: quia illud opus prout suum causat, sed etiam Deus opus illud prout creaturæ adhuc causat. Ergo adhuc Deus erit causa peccati, & quidquid sit de abstractionibus, sufficit ad absurdum, quod in re causet Deus peccatum.

RESPONDENT 4. Alii cum Arriaga. Deum non esse causam peccati: quia concurrat concursu indifferenti ad bonum vel ad malum cum animo quod vellet illud non fieri, ab eoque deterret, & reducit. Porro ea causa, quæ ad aliquid est indifferens, si concurrat determinata ab alia causa, non dicitur causa operis. & sic v. g. qui dat ensalemicui, eo animo ut occidat, est causa illius occisionis: qui autem præcisè dat eo animo ut se defendat, etiam si postea occidat aliquem eo gladio, non est causa illius occisionis. Rursus: quia Deus, quantum est de se, non est inclinatus ad peccatum, sed ab illo reducit, deterret &c. hinc fit, ut etiam determinatus ille concursus, qui erat indifferens ad bonum & malum, non sit causa operis illius mali. E contra habitus indifferens ad agendum cum determinatur à potentia: quia facit hoc ex inclinatione, & facilitando ut fiat; ite intellectus determinatus à specie impressa, quia est principium intellectio- nis inclinando ad illam, idque ex generali ratione potentia, quæ inclinatur ad actus; hinc quamvis indifferens habitus & intellectus determinetur ab alio, non salvatur, quo minus habitus & intellectus, sint vera causa suorum effectuum: quia verò Deus determinatus ad concurrendum, concurrat non cum inclinatione, sed cum detestatione actus, hinc fit ut adhuc Deus non sit causa peccati.

CONTRA. Tum quia. Immeritò assumit Arriaga donari à Deo indifferentem concursum ad bonum vel malum: licet enim verum sit in sententia Societ. dari concursum indifferentem, ad agendum vel non agendum, falsum tamen est dari concursum indifferentem, quo vel bonum, vel malum agere possimus. Nam ille concursus bonus oblati ad bene agendum, est v. g. supernaturalis, & elevativus, qui certe ad peccatum non elevat, nec potest illud principiare, concursus autem oblati indifferens ad malum, est concursus naturalis, nec elevativus. Qui ergo concurrere poterit ad agendum bonum, ut supponitur, supernaturalem. Tum quia. Ista indifferentia concursus, vel spectatur in actu primo, vel spectatur in actu secundo. Si spectatur in actu secundo, concursus ille non est indifferens ad bonum & malum: quia est ipsamet actio, quæ unum agit, nec indifferens est ad agendum aliud. Si autem spectetur in actu primo, hoc est, prout est virtus productiva ipsius

ipsius actionis, & est voluntatem applicans ad operandum, in tantum præcisè spectata, nihil confert ad salvandum, quod Deus non sit causa peccati: quia etiam concursus creaturæ in actu primo spectatus, prout est virtus productiva actionis peccaminosæ est: actus indifferens ad ponendum, vel non ponendum peccatum; & tamen hæc indifferentia præcisè sumpta non eximit creaturam, quod sit verè causa peccati. Tota ergo ratio, cur Deus non sit causa peccati, in hoc tantum stabit, quod determinetur, & non determinetur ad peccatum. Sed neque hoc salvat, quod Deus non sit causa peccati. Tum quia. ponamus quod causa secunda aliam causam secundam potens sit determinare ad actum malum, tunc illa causa determinata censetur adhuc esse causa peccati, si voluntariè acceptet illam determinationem, nec se illà exuat cum possit. sed Deus voluntariè determinatur à causa secunda: posset enim si vellet non determinare, & potuisset, si vellet, non fecisse decretum concurrendi etiam ad malum. Ergo adhuc erit causa peccati Deus. Tum quia. Inefficax displicentia si sit conjuncta cum potestate absoluta ne ponatur res displicens, non excusat, quominus aliquis sit verè causa peccati, ut in multis materiis videre est. sed in Deo est inefficax displicentia, & est conjuncta cum potestate absoluta, ne ponatur res displicens. Ergo. Min. Prob. Quia illa est inefficax displicentia quæ ad agendum non movet, cum movere possit. Tum quia. ex communiore sententia, determinat se creatura ad speciem actus peccaminosi, Deus autem determinat ad individuationem actus, sine qua determinatione ad individuationem, non ponetur species illa actus peccaminosi. Cur ergo illa determinatio inducit peccatum in creaturam, non inducit in Deum?

Proponuntur aliæ Rationes.

RESPONDET 5. quidam. Deum concurrentem concursu indifferenti, ut fiat vel non fiat peccatum, non esse causam peccati: quia non facit contra debitum, puta, non facit, quod debet non facere, sed facit quod debet, & tenetur facere. & cum ratio peccati consistat in privatione rectitudinis debitæ actui peccaminoso inesse, si Deus non facit contra debitum concurrando ad actum peccaminosum, non erat causa peccati. Porro concurrando ad actum peccaminosum ex decreto ad utrumlibet indifferenti, quod non faciat contra debitum, hoc inde est, quia concurrat ut Agens primum & universale, adeoque magis secundum debitum sibi operandi modum, quam contra ipsum: quia debitus Agenti universali operandi modus est, concurrere juxta exigentiam causarum secundarum, adeoque concurrere juxta determinationem earundem causarum secundarum. Declarabat hoc ulterius. Omne operans per vo-

luntatem debitum habet agendi non nisi secundum prælucentem rationem, teneturque hæc dictamina sequi, Ut ordo debitus servetur, & ut directivum dominetur dirigibili: & quoniam creatura operando actionem peccaminosam agit contra dictamina prælucentia; ideoque est causa peccati; Quia verò Deus, operando ut Causa universalis ex decreto indifferenti actiones peccaminosas, sequitur dictamina rectæ rationis propria, apertum est, quod non operetur contra debitum sibi operandi modum. Hæc verò dictamina sunt: Licet principio universali concurrere ad utrumlibet cum voluntate creatura. Causæ primæ licet agere juxta exigentiam agentium secundorum.

CONTRA est. Tum quia. Vi hujus explanationis posset excusari, quod Deus æque ad peccatum inducat, atque ad bonum, eo quod æque utrumque spectet ad causam primam, nec id agat contra debitum suum operandi modum, & sicut tu dicis, licet principio universali concurrere ad utrumlibet cum voluntate creatura, ita ego dicam, licet principio universali, ad utrumlibet inducere voluntatem creatam; vel si hoc non licet, nec illud licebit. Tum quia. Agendo Deus secundum illum debitum sibi operandi modum, vel causat peccatum, vel non causat, si non causat: Ergo non causat omnes actiones creatas, nec ad illas concurrat. si causat: Ergo peccati causa est, quia nihil potest esse causa peccati sine peccato. Tum quia. Negabit Durandus habere Deum dictamen, ut ad utrumlibet immediatè concurrat. Tum quia. Prius inquiri debet, An aliquid sit in se bonum, secundò inferri debet, illud Deum operando non facere contra debitum operandi: dicam enim Deum mentiri, sed non peccare: quia non facit contra debitum operandi modum. Cum autem causare peccatum non sit bonum, si illud Deus causat (ut causat, si ad illud immediatè concurrat) hoc ipso faciet contra debitum operandi modum. Tum quia. Causando peccatum, & non faceret contra debitum operandi modum, ut supponitur, & faceret contra debitum operandi modum: quia causare peccatum summa sanctitas non potest. Tum quia. ex hac Doctrina sequitur Deum facere peccatum. Quod ipsum probatur. Illud quod facit Deus non contra debitum, illud facit & causat, ut assumit respondens. sed peccatum est illud quod facit Deus non contra debitum. Ergo peccatum est illud quod facit, & causat. Minor probatur. Illud quod facit Deus non contra debitum, est illud quod faciendo & causando creatura facit contra debitum. sed illud quod facit creatura contra debitum est peccatum. Ergo illud quod facit Deus non contra debitum est peccatum. Tum quia. Vel habet Deus hoc dictamen, licet tum est causæ primæ tanquam causæ universalis esse causam peccati; vel non habet hoc dictamen

men. si habet hoc dictamen. Ergo est causa peccati: intentio autē respondentis erat ostendere Deum non esse causam peccati. Si autem Deus non habet hoc dictamen. Ergo est aliqua actio, à parte rei, quam Deus non causat: nempe peccaminosa actio. quomodo autem illum non causat, si ad illam concurrat.

RESPONDET 6. alii. Ideo Deum non esse causam peccati: quia non concurrat ad formalitatem peccati quā talis, licet concurrat ad alias formalitates. Nec longè abest Explicatio Thomistarum dicentium. Ideo Deum non esse causam peccati, quia Deus est causa entis quā ens est, & non est causa talis entis.

CONTRA est. Tum quia. Hæ formalitates ad quas non concurrat Deus, vel sunt negativæ, & sic secundum dicta suprà, æquè creatura non erit causa peccati ac Deus. si positivæ. Ergo ad illas concurrat Deus, adeoque eas causat quā nihil est productum, quod non sit ab illo. Tum quia. Hæ formalitates vel sunt idem realiter inter se, & sic totum à Deo producit, vel non idem realiter, & hoc erit fictitium. Tum quia. Ratio talis entis ab ipso ente non distinguitur realiter. Ergo utraque producit. Quando autem S. Thomas dicit: Divinam productionem terminari ad ens, non ad tale ens, hoc solum significat quod Deus omnia entia producat, non autem non nisi quædam. Unde etiam intetur intellectum elevatum non tantum ad vitalitatem, sed & ad supernaturalitatem concurrere, licet id non faciat nisi quā elevatus.

RESPONDET 7. Oviedo multis præmissis. Respectu actus peccaminosi in primis potest considerari divina Omnipotentia per modum principii physici influentis in materialem actionem peccaminosam. ad quam non se habet ut pure non impediens, sed in eam influit; non est tamen causa peccati: quia non concurrat per modum principii immediatè liberi: Omnipotentia enim non est principium formaliter liberum. Deinde respectu ejusdem actus peccaminosi potest etiam considerari voluntas divina expediens suam omnipotentiam, eamque subiciens voluntati creaturæ. Sic sumpta voluntas nullum actum habet respectu actionis peccaminosæ, etiam materialiter sumptæ; quia omnis actus voluntatis divinæ, qui per modum principii proximi & remoti supponitur ad actum liberum voluntatis, potest conjungi cum illo, & cum negatione illius. Decretum etiam concurrendi, non est nisi concurrendi dependenter à voluntate creata. quo posito decreto Deus jam non manet formaliter liber ad concurrendum, vel non concurrendum. Ex quibus conficitur, quod nec Omnipotentia. nec voluntas divina sit causa peccati.

CONTRA est. Tum quia. Si ex eo Deus concurrat ad peccatum non peccat, quia Omni-

potentia divina non est Principium formaliter liberum, dicam etiam homicidam non peccare, quia Potentia occisiva non est formaliter libera. si autem dicas, illam potentiam à voluntate libera applicari, inferam. Ergo cum Omnipotentia à voluntate divina libera applicetur, peccabit Deus concurrendo ad peccatum. Tum quia. Bene potest concedi Deum liberè concurrere ad actionem peccaminosam: à quo enim cogitur vel necessitatur? & tamen certum est Deum non esse causam peccati. Ergo hoc aliunde debet salvari, & non ex eo, quod concurrat per omnipotentiam, quæ non est formaliter libera. Tum quia. Supposita prædestinatione, liberè nos adhuc Deus salvat. Ergo & supposito illo decreto, liberè concurrat. Quod in hoc fundatur: quia scilicet necessitas ex suppositione usus libertatis, quæ potest auferri, non destruit libertatem. Et si posita voluntate iniustitiæ ipsa actualis factio iniustitiæ est mihi adhuc libera. Ergo & in præsentī de Deo idem dicendum.

DIFFICULTAS II.

Quare Deus non est Causa Peccati?

PRÆMITTO 1. Decretum Trident. Sess. 6. Can. 6. Si quis dixerit mala opera, ita aut bona, Deum operari, non permisisse solum, sed etiā propriè & per se, adeo ut sit proprium opus eius, non minus perditio Iude quam vocatio Pauli, Anathema sit.

PRÆMITTO 2. Hostres terminos. Auctor, Causa, Concurrens, distinctos esse. & quidem quod Auctor & Causa distinguantur, in rigore loquendo, probat vel exinde Oviedo. Quia operarii adhibiti ad structuram sunt causa ædificii, non tamen Auctores. sed solus architectus est Auctor. universaliterque Auctor definitur quod sit principium alia comprincipia dirigens. Nomine autem Causa quid veniat, petatur ex physicis. ubi dictum, Causam esse principium determinans vi suā ad existentiam, consequenter jam causa per se erit id quod determinat ad existentiam, vi suā, quā tale. Causa autem per accidens est, quæ concurrat per conjunctionem cum alio principio, determinante vi suā existentiam effectus. Nomine autem concurrentis venit non aliud, quàm quod actio sit dependens ab aliquo, qui dicitur concurrere. In præsentī, Quare Deus non sit Auctor peccati, remittitur ad Controversam. quare non sit causa peccati, hinc discutietur. Distinctè autem conceditur, Deum concurrere ad peccata. quia actio peccaminosa, ex eo ipso, quia non est quid increatum, est dependens à Deo.

PRÆMITTO 3. Peccatum formaliter & primitive stare in actione interna, & si operetur aliquis actionem externam quàm pessimam, si operetur sine ulla actione interna, imò cum elicta adhuc detestatione, non censebitur esse causa peccati, nec facere peccatum. Porro cum re-

spectu

specu Deiactiones peccaminosa creaturarum, habeant se per modum actus externi, si Deus concurrat ad illas actiones sine ulla volitione interna peccati, non censetur esse causa peccati.

PRÆMITTO 4. *Duplicem cogitari posse voluntatem divinam, seu Decretum voluntatis circa actus liberos.* Primum, quod appellari potest universale, quo Deus dicit, Volo ita attemperare meum concursum, ut voluntas creaturæ rationalis libera maneat. In hoc decreto non est volitio peccati, sed est volitio tollendæ indifferentiæ, quam habebat Deus ad servandam vel non servandam libertatem creaturarum, & est volitio libertatis creatæ; & sicut in illo decreto universali inefficaci, quo Deus vult homines salvare, non discernuntur qui sunt morituri in peccatis, qui non morituri, sed fertur intentio Dei, ut pro sua parte neminem velit damnatum, & suâ gratiâ destitutum. Item, qui habet voluntatem vendendi gladium volenti emere, non hoc ipso discernit empturos ad defensionem vitæ, vel empturos ad occidendum: quia pro illo signo vult solum auferre suam indifferentiam ad vendendum, vel non vendendum; Ita & in præsentî, pro hoc signo non discernuntur peccaturi, si non impediatur libertas. sed attendit solum Deus pro illo signo ad auferendam suam indifferentiam de servanda, vel non servanda indemnitate libertate creatæ, licet in sensu reali, & propter coexistentiam aliorum signorum, omnia attingat notitiâ divina. Secundum Decretum est, quod Deus de peccatis in speciali format, & hoc ita potest concipi: Volo quantum est ex me non fieri actus malos: quia tamen volo salvare libertatem creaturæ, nolo impedire, & subtrahere meum concursum, quo etiam in decreto non vult Deus peccatum. Illustratur hoc persistendo in prædicta Instantia: Volens vendere empturo suum gladium, & in posteriori signo expressè eximens quod nolit vendere propter occisionem injustam, quantum est ex illo. Hic nec in priori nec in posteriori signo, quod est quasi explicatio prioris, vult occisionem injustam. Sic etiam Deus nec in illo priori, nec in isto posteriori decreto, quod est quasi explicatio prioris, vult peccatum. Videtur hæc ratio desumi ex Anselmo. L. de Lib. Arbit. cap. 8. Ex quo infert Bellarm. Lib. 2. de Amiff. grat. cap. 10. Quod si Deus vellet hominem peccare, vellet id, quod non vellet, eum velle. Ubi agnoscit uterque non dari in Deo volitionem peccati.

PRÆMITTO 5. *Quod cum liberum Deo fuerit facere vel non facere Decretum ut libere agerent creaturæ, quo supposito Decreto possunt uti, vel abuti concursu Dei creaturæ pro suo arbitrio, fit, quod si abutantur illo concursu Divino, per accidens se Deus habebit ad peccatum.* Et sicut cum Musicus ædificat, conjungitur habitus Musici cum habitu

ædificatoriæ, estque indifferens ad conjungi, cum habitu ædificatoriæ; ideo musicus est causa per accidens ædificii: Ita & Deus non est causa per se peccati. & sicut musicus non mediante ædificatore ædificat; alias ædificaret mediante seipso, nihil autem respectu sui ipsius per modum mediantis est, cum quo stat ut Musicus per accidens ædificet. Sic & Deus poterit immediate concurrere ad peccatum, quamvis nullo modo sit per se causa peccati. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia concurrat non nisi per conjunctionem cum creatura determinante vi & voluntate suâ existentiam peccati. His præmissis.

Formatur Ratio, Cur Deus non sit causa peccati. Deus concurrat etiam ad actiones peccaminosas: quia actio illa est dependens à Deo, ut dixi Præmis. 2. non est tamen ex Doctrina Trid. causa peccati: ut dixi Præmis. 1. quia actio peccaminosa respectu Dei est actio externa, ut dixi Præmis. 3. ad quam per se non est illa ipsius volitio; imò quantum est ex illo, terminata est volitio, ut dixi Præmis. 4. licet sit causa per accidens, hoc sensu: quia suo Decreto Omnipotentiam suam, & vim concurrendi conjungit cum creatura, quæ per se vult peccatum. Tota hæc ratio ad hoc tendit, quod non possit ostendi volitio, quâ Deus velit peccatum; sine autem volitione peccati, non potest committi peccatum.

Formatur deinde hæc secunda Ratio. Deus nec ex formalitate Causæ definitivæ, nec ex formalitate Causæ intellectuales, potest argui, quod sit causa peccati. Non ex formalitate definitivæ causæ; quia hæc petit, ut aliquid visus determinet ad existentiam effectus. Cum autem Deus non determinet ad existentiam peccati, fit ut non sit causa peccati, attendendo præcisè ad formalitatem definitivam. Non etiam est causa secundum quod est intellectualis: quia non potest ens intellectivum peccare, nisi agat tanquam agens intellectuale: bruta enim non peccant. Si debet agere tanquam agens intellectuale, debet agere ex intentione finis quâ talis: hoc enim proprium intellectivorum est. Hinc & Deus, ut peccet, debet agere secundum intentionem peccati, qui autem agit secundum intentionem alicujus, agit ex amore & inclinatione: solus enim amor, & inclinatio ad finem, urget operis executionem. Et quia Deus nunquam inclinatio animo est ad peccatum, obstante illius infinita sanctitate, fit ut Deus nec peccet, nec sit causa peccati.

Formari posset tertia Ratio. Quod Deus nec ad speciem, nec ad individuationem actus peccaminosi determinet. Sed quia hæc ratio procedit ex principiis non ita certis circa individuationem actus peccaminosi, licet illorum meminerit Arr. d. 10. Phys. sect. 2. n. 98. & Bonifacii de scientia Media; ideo remitto ad ea quæ

dicta sunt in materia de Prædeterminatione in simili.

Sed Dicendumne Deus causa saltem ejus quod pro materiali & pro positivo dicitur peccatum?

RESPONDETUR, *Quod non.* Tum quia. Non aliter est causa peccati creatura nisi causando illud materiale. Ergo si cum hoc stat ut adhuc creatura verè sit causa ipsius formalis, quod reperitur in actione peccaminosa, etiam Deus erit causa ipsius formalis peccati. Tum quia. Tenet nostra illatio contra Thomistas, quod si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, hoc ipso prædeterminaret ad formale. Ergo etiam bene arguitur, quod si esset Deus causa ejus, quod pro materiali dicitur peccatum, hoc ipso esset causa etiam ejus, quod pro formali dicitur peccatum. Tum quia. In præfati ad duo attendendum, ut salvetur sanctitas Dei, & ut salvetur ratio causæ primæ, utrumque autem hoc salvabitur si non dicatur Deus esse causa illius materialis, quia salvabitur ejus sanctitas longè melius, dicendo Deum, ne quidem illius materialis esse causam; salvabitur ratio causæ primæ: quia tribuetur Deo concursus ad illud materiale. Tum quia. Etiam ad illud materiale non est Deus inclinato animo, nec illud vult appetitive. Ergo non est causa illius, ut dictum supra. Quamvis autem illa entitas sit bona physice ne sit obiectum appetentiæ divinæ, obstabit illius malitia moralis. Tum quia. Quando Calvinus voluit, Deum esse causam peccati, voluit illum esse causam homicidii, furti, &c. & non erat sollicitus de negationibus sequentibus, quas pro formali, probabilis non nisi Theologia adstruit, hinc dicere Deum esse causam materialiter sumpti homicidii, furti, &c. est dare hoc quod voluit Calvinus.

DIFFICULTAS III.

Objectiones in Oppositum.

OBJICITUR 1. Auctoritas Scripturæ. *Ad eam explicandam.*

NOTO. Quod Deus licet actiones malas, injunctivas aliorum nolit, ex suppositione tamen illarum, potest velle patientiam sanctorum. Ita explicatur locus Gen. 45. & cap. 50. Actorum 2. &c. Deinde creat Deus impios ampliative, hoc est, futuros impios; sed non creat, hoc est, non causat per se illorum impietatem. Imò neminem reprobatur reprobatione positivā, nisi post prævisa absolute demerita, & in hac vita, neminem indurat positivè, sed non nisi negativè. Quando autem Deus significatur quasi impellens & movens ad malum, id hoc solo sensu verum est, quia videtur Deus malis, tanquam instrumentis, permittitque eos malè agere.

ADDIT Bellar. cit. cap. 13. Deus non solum permittit impios agere mala, &c. sed etiam præsidet voluntatibus malis, easque flecit, in eis in-

visibiliter operando; ut licet vitio suo malæ sint, tamen à Divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud, non positivè sed permisivè ordinantur.

OBJICIUNTUR 2. Auctoritates præcipuè S. Aug. quarum meminit cit. Bellar. c. 16. In auctoritate, quæ habetur Lib. 9. Conf. cap. 8. non plus vult Aug. quam Deum, ex suppositione vitii alius, ordinare suā providentiā correctionem alterius, vel loquitur de sola volitione, quæ est permisivè peccati, ut Ench. 100. c. Cap. autem 101. loquitur Aug. de actionibus cæteroquin indifferentibus, quas Deus bonā voluntate potest velle, licet illas velit mala voluntate homo; quando autem Aug. Lib. 6. de Gen. ad Litt. cap. 15. dicit, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, loquitur de exclusionem fati, & quod Deo aliquid efficaciter volente, semper res fiat. Sed negamus Deum efficaciter velle peccata. Lib. autem 5. contra Julianum cap. 13. non reprehendit eum in hoc, quod Deus deferendo, seu permittendo, tradat passioni ignominia, sed in hoc eum reprehendit: quia negabat unum peccatum puniri altero. Eodem autem capite, quando dicuntur peccatores per potentiam in peccatum compulsi, non hoc significatur, quod positivè ad peccata impellat; sed quod admirabili potentia, ita regat impiorum corda, ne aliud perficiant, ut vult Bellarm. nisi quod ipse permittit, non impediendo, ut ferantur in hoc potius, quo etiam modo explicari debet locus ex Lib. de Grat. & Lib. arb. cap. 20. & 21. Unde etiam August. interdum permissionis Decretum, vocat electionem, ut videre est Lib. de Correp. & gratia cap. 7. Et ibidem cap. 10. non plus vult, quam quod etiam mala Deus finat, ut ex illis bonum eliciat, præscitque illa, licet ad præsciendum non præcedat decretum ut fiat peccatum, ut videre est apud eundem, Lib. de Prædest. Sanct. cap. 10.

OBJICITUR 3. Quod est causa causæ est causa causati. Deus autem est causa actionis, unde resultat deformitas.

RESPONDETUR. Negando Min. Concurrit enim Deus ad illam actionem, sed non est causa illius.

INSTATUR 1. Concurrit Deus ad actionem peccaminosam. Ergo est causa illius.

RESPONDETUR. Negando Conf. quia ad hoc ut dicatur Deus concurrere, sufficit ut actio illa sit dependens à Deo, adeoque non à se, ut ita maneat proximè & immediatè in ordine impediibilis à Deo, hocque requirit formalitas causæ primæ, ad esse autem causæ, requiritur determinare ad existentiam, operari ad existentiam peccati, quod Deus non facit.

INSTATUR 2. Deus determinavit se, ut concurrat ad actiones nostras peccaminosas. Ergo saltem illa determinatio erit peccaminosa. Et certè, ponatur creatura loco Dei cum aliis ad

(H)

agen-

agendum concurrens, ponatur eadem determinare se ad concurrendum ad peccatum, cum posset non determinare, peccaret illa creatura. Ergo idem de Deo dicendum.

RESPONDETUR. Determinavit quidem se Deus ad concurrendum, sed sine ulla volitione peccati. Creatura etiam illa si determinaret se ad concurrendum ad peccandum, tenereturque ad conservandam libertatem, eo etiam casu non peccaret. Unde etiam alligatio voluntatis ad concurrendum, si nec directè, nec indirectè causaret peccatum, sed solum satisfactiva esset obligationi, ne lædatur libertas; illa alligatio, non esset peccaminosa.

INSTATUR 3. Si creatura ab alia determinaretur ad actum peccaminosum, acceptaret nihilominus voluntarie determinationem, peccaret. Ergo etiam Deus quamvis concurrat ad peccatum non nisi determinatus à creatura, peccabit.

RESPONDETUR. Determinationem illam acceptans creatura, si directè, vel indirectè vellet illud malum, & si non haberet obligationem non impediendæ libertatis alienæ, peccaret acceptando determinationem: utrumque autem oppositum convenit Deo, non vult enim etiam indirectè peccatum Deus: quia non vult unquam indirectè actionem malam cui annexum peccatum, & habet obligationem non impediendæ libertatis creaturæ.

OBJICITUR 4. Inefficax displicentia, si sit conjuncta cum potestate absoluta, ne ponatur res displicens, non excusat, quominus sit causa rei displicentis, adeoque & peccati. Deus autem non nisi inefficacem displicentiam habet peccati, cum habeat potestatem absolutam illud impediendi.

RESPONDETUR. In Deo esse peccati displicentiam efficacem, quantum est ex parte Dei, hinc deterret, præbet auxilia &c. licet non sit efficax absolute: hoc ipso enim non posset unquam poni peccatum.

Has & similes objectiones, ordinariè solent Auctores ex eo solvere, quòd Deus sit causa universalis, adeoque non habens obligationes causarum particularium. Sed hæc methodo non utimur, quia obnoxia est multis illusionibus: dicam enim, Deum posse mentiri: quia ille est causa universalis, & non habet obligationes causarum particularium.

OBJICITUR 5. Necdum ex allatis satisfieri intentioni Trid. Sess. 6. de Justif. quia non ostenditur differentia in concursu ad bona opera & ad mala: quam tamen differentiam requirit Tridentinum inibi.

RESPONDETUR. Non fuisse mentem Trident. quòd in concurrendo ad peccatum & bonum opus, non detur ratio aliqua communis; alias alterutrum deberet sine concursu Dei fieri, est ergo in hoc convenientia, quia ad utrumque

Omnipotentia concurrat, sed est differentia in modo concurrendi: quia ad bonum opus concurrat Deus ex intentione efficaci, etiam quantum ex illo, ut sit, prædefinitque istam actionem, ut dictum in prima parte. Ad actionem autem peccaminosam, non concurrat cum amore, & inclinatione, velletque potius illam, quantum est ex illo, non fieri. Est & alia differentia in modo concurrendi: quia concursus qui offertur ad malum opus, est in ordine naturali; concursus autem ad actiones excedentes, qualis est v.g. vocatio Pauli, habet sibi oblatum concursum supernaturalem. Denique ad bona opera præcedit adhortatio, dehortatio ad mala &c. quæ omnia ostendunt diverso modo Deum concurrere ad bona, diverso ad mala opera.

OBJICITUR 6. Vel Deus habet auxilia efficaciacia impediendi omnia & singula peccata, vel non habet, si non habet. Ergo Deo efficaciter salvare volenti, aliquid humanum resistit arbitrium, quod est contra August. Si habet. Ergo quòd non impedit, est causa illius. Nam non impediens censetur esse causa moralis.

RESPONDETUR. Deum habere in manu sua auxilia efficaciacia, illa tamen non offerendo, non est causa peccati: quia causa non impediens tunc est causa moralis, quando illud non impeditur fundatur in directo, vel indirecto appetitu, intentioneque mali, & quando, ut non ponatur impedimentum aliunde non est obligatio, est autem in Deo obligatio tuendæ nostræ libertatis.

OBJICITUR 7. Reperitur aliquid in peccato, quod ita dependet à Deo, ut non dependeat à creatura: nempe ipsa individuatio actus: determinat enim Deus ad hanc individuum actionem peccaminosam. Ergo saltem respectu illius Deus erit causa.

RESPONDET Oviado. Deum non determinare existentiam absolutam alicujus individui peccati, per voluntatem intentivam hujus individuationis præ alia; sed tantum negat principia indifferentia ad omnia alia individua, & ad hoc individuum concedere, illudque permittere. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia videtur supponere, quòd determinatio ad individuationem actus, dici possit permissio; hoc autem non potest concedi. Tum quia, non dicitur causare Omnipotentia permissivè: quo modo autem etiam erit determinatio individuationis permissiva. Tum quia, si nomine permissionis intelligatur quòd fiat non nisi ex suppositione, quia creatura vellet se determinare, ad speciem actus, Deus autem determinat ad individuationem: hoc quidem verum est, sed non salvat permissionem in esse permissionis. Ratio, quia etiam efficax auxilium, prædefinitio appetitus penitentis, procedunt in Deo, ex suppositione, nec tamen

men hæc dicuntur permissio. Tum quia. Determinatio ad unum non apparet qui sit permissio agendi; & ita, qui determinat Paulum, ut non nisi militet, non dicitur Paulo permittere militiam.

RESPONDETUR 2. Quod Deus determinet ad individuationem, non quomodocunque, sed cum actu displicentiae, & ex suppositione, non tantum determinationis ad speciem actus, sed & vagè ad quemcunque; tandem actum individuum peccati, quamvis Deus offerat hunc potentius quam illum positivum suum concursum, ex eo autem non sequitur Deum esse causam peccati: quia quantum est ex illo, & speciem, & individuationem actus nolle: & sicut si Petrus habeat duos gladios, ad quorum alterutrum habeat Paulus, si determinatus sit idem Paulus quocunque ex illis occidere Andream, non est Petrus causa occisionis si impediatur, ne hoc gladio occidat sed hoc potius sita & in presenti. Unde hæc determinatio est impropria, hoc est importat exhibitionem huius potius, quam illius individui concursus, idque adhuc cum displicentia, sed non est determinatio propria & rigorosa, quæ est initium motus cum inclinatione, & ad determinationem, & ad id, ad quod est determinatio.

RESPONDETUR 3. Ad dicta de prædeterminatione conformiter. Creaturam se determinare etiam ad individuationem actus, licet ad hanc ipsam concurrat etiam Deus. Ex his autem, quæ hæcenus in solutione objectionum allata, responderi potest ad eas rationes, quibus impetitur sunt receptæ aliorum rationes, probantes Deum non esse causam peccati. Imò ut & illis suum robur maneat.

QUÆSTIO II.

De Subiecto Peccati.

Non quæremus hic de subiecto Peccati, hoc sensu. An scilicet possit peccare aliquod Ens, quod tamen non sit creatura rationalis: Supponunt enim omnes, quod quorum non est actio moralis producere, eorundem etiam non sit peccare. Nec quæritur, de hoc, An peccatum sit solius voluntatis tanquam subiectum? An etiam ipsius intellectus? Nam supponitur non esse peccatum ubi non est libertas; actus autem intellectus, non sunt actus potentiae liberæ, sed potius quæretur. An possit esse aliquod subiectum capax venialis, & non mortalis, & e converso &c. &c.

Circa quod indubitatum est, ut possit aliquid reddi capax extrinseci venialis, & non mortalis: si id fiat non liberè, ratione scilicet appositæ prædeterminationis, similis ei, quam ponunt Thomistæ, nos impugnamus. Vel ratione selecti auxilii facientis nunquam peccare mortaliter, & ex suppositione reddentis incapax sub-

iectum ad peccandum mortaliter. Sed quæretur, An hoc possit oriri aliunde? sit

DIFFICULTAS I.

An sit possibilis Creatura, potens peccare venialiter & non mortaliter, & e converso?

DICENDUM est I. Non posse ostendi implicantiā per locum positivum, Creaturæ, quæ possit peccare venialiter & non mortaliter, est Conclusio, quam in substantia docet Arriaga d. 48. h. c. n. 26.

PROBATUR. Quia nulla potest talis implicantiā per locum positivum adferri.

CONFIRMATUR Instantiis, quæ rem quidem suadent, sed non demonstrant positivè; solvique possent conformiter ad hæc, quæ allata sunt in Animastica, ubi actum. An sit possibilis intellectus determinatus non nisi ad quædam cognoscenda. Tum quia. Potest Creatura peccare venialiter actu, & non peccare mortaliter actu. Ergo poterit habere & potentiam peccandi venialiter, quin habeat potentiam peccandi mortaliter. Neque valet, si retorqueas Argumentum, quod probet de facto talem in nobis potentiam haberi: quia cum & fide, & experientiā doceamur de existentia mortalis, & venialis, non possumus in nobis ponere talem potentiam. Tum quia. Sicut in sensibus datur determinatio v. g. in oculo ad colorem non ad odorem, cum tamen id conjungatur in sensu communi: Cur etiam non poterit dari indifferentia & potestas ad committendū veniale, sine indifferentia ad committendū mortale, licet utrumque hoc conjungatur in nobis. Tum quia. In educatis honestè datur impotentia quædam politica ad exercendas aliquas actiones inhonestas, quæ passim à plebeijs honestè non educatis exercentur, cur non poterit dari similis impotentia physica ad exercendas graviter inhonestas actiones morales. Tum quia, ut urget Arriaga. Non implicat contradictionem potentia libera, quæ possit honesta, vel indifferentia amare, non tamen inhonestam; & talis est potentia in Deo, & in Beatis. Cur ergo non erit possibilis determinata ad non sequendum turpe. Et sicut dantur bruta nullo modo habentia cognitionem sufficientem ad ullum peccatum; & e converso, dantur homines, habentes & cognitionem, & libertatem ad id sufficientem. Ergo etiam poterit esse aliqua substantia divinitus, quæ naturā suā possit habere cognitionem mediam, talem scilicet, qualis est in semiebriis vel semidormientibus, illa autem substantia indubiè non est capax plus, quam venialis.

OBJICITUR I. Et esset illa creatura non peccativa mortaliter, ut supponitur, & non esset: quia non datur creatura seipsa sancta; talis autem creatura esset, seipsa sancta.

RESPONDETUR. Negando fore talem creaturam seipsa sanctam: carentia enim mera pec-

(H) 2 eati

cati mortalis non est gratia, nec sanctitas, de qua hic, quæ sit scilicet specialis participatio naturæ divinæ. Et sicut implicat creatura quæ sit substantia supernaturalis; ita implicabit creatura, quæ sit seipsa sancta, hoc est, substantialiter sibi identificans gratiam. Quia tamen in Materia de Pœnitentia dicebamus, quod actus amoris sit suo modo sanctificativus: & quia fieri posset, ut illa creatura noller velle peccare mortaliter ex amore Dei; nondum tamen illa foret seipsa sancta: quia seipso sanctum, intelligitur substantialiter sanctum; illa autem creatura prædictum actum non identificaret sibi. Sed ad defendendam possibilitatem talis creaturæ & ad defendendum, quod nulli creaturæ debitus sit actus supernaturalis, tenendum erit, illam creaturam ex imbecillitate sua non esse peccaturam mortaliter: quia scilicet non potest progredi ad perfectionem deliberationis, quâ perfectione illi denegata, sequitur quod non possit peccare mortaliter. Sed inde non sequitur fore illam seipsa sanctam.

OBJICITUR 2. Illa creatura non peccativa mortaliter, etiam posita occasione, deberet id nolle propter actum elicitum: qui ipse vel esset naturalis, vel non esset naturalis. Si non esset naturalis, hoc ipso tribueremus vim non peccandi mortaliter viribus naturæ, quod est contra Concilia. Si autem habeatur vi actus supernaturalis. Ergo deberet dari creatura habens exigentiam naturalem ad gratiam, ex cuius adiutorio deberet non peccare mortaliter; impossibile autem iudicatur creatura dicens connectionem naturalem cum gratia supernaturali.

RESPONDETUR. Negando sequelam, posset enim illa creatura poni impeccabilis mortaliter, non beneficio actus elicitum, nolendi peccare mortaliter; sed ratione suæ naturalis determinationis non potentis habere sufficientem advertentiam ad mortale. Ad eum modum, quo sine ullo actu elicitum sensus communis non apprehendit spiritualia, & potentia visiva sonum; imò proposito sibi objecto, Visus peccare mortaliter, posset illa creatura habere actum elicitum, volo peccare: neque tamen per hoc peccaret mortaliter: quia hoc ipsum voluntarium haberet cum tali infirmitate, qualis præfundatur in imperfecta advertentia, consimiliq; ei, quam haberet semilapsus, vel medio-vefanas, dicens, volo peccare mortaliter. Deinde Patres qui non tribuunt vim non peccandi viribus naturæ, loquuntur de præsentis statu, qui est secundum suppositionem fomitis corruptæ naturæ, totque tentationum infestantium nos, cætero qui potentes habere advertentiam plenam, & voluntarium plenum, non loquuntur autem de creaturis impotentibus habere plenam advertentiam. Denique, etiam naturalis voluntas non peccandi mortaliter, non potest stare cum voluntate peccandi, ob oppositionem prædica-

torum; quam etiam naturalem nolitionem peccandi, si in nobis non deicerent tentationes, non peccaremus. Sed quia eam deiciunt, longè facilius adhuc, quam deiciant similem voluntatem supernaturalem; ideo indigemus nos gratia supernaturali.

OBJICITUR 3. Illa creatura deberet esse substantia supernaturalis, quia deberet esse inamissiva gratiæ.

RESPONDETUR. Negando quod definitivè substantia supernaturalis sit substantia inamissiva gratiæ. Deinde posset poni illa substantia sine ulla gratia divina, quæ videtur congruere nonnisi naturis intellectuales, potentibus plenè aestimare gratiam amantis Dei. Deinde, forte posset poni qualitas consimilis gratiæ; ita, ut dicam, delicata, quæ nequidem cum venialitate possit, & tamen animæ decorativa, ejusque gratificativa.

DICENDUM est 2. Possibile esse creaturam, quæ possit mortaliter peccare, & nunquam venialiter, orta venialitate, ex defectu plena advertentia. Est Conc. contra Arriaga, eam tamen tenet Oviedo, citatus n. 164.

PROBATUR 1. Quia id non implicat contradictionem.

PROBATUR 2. Possibilis est, per Arriaga, substantia indifferens nonnisi ad honesta vel indifferentia. Ergo possibilis erit determinata nonnisi ad amandum omni actu Deum, vel si volit odisse ad odiendum, ad eum modum, quo Beati sunt determinati nonnisi ad amandum Deum, & quod in illis facit lumen gloriæ, Cur in creatura non posset facere species aliqua naturalis impressa altior circa Deum; ita tamen ut posset etiam, si velit, odisse Deum, quod non permittit Visio. Subsumo, talem creaturam implicat peccare venialiter; quia vel peccaret odiendo Deum, & hoc non: quia nullum odium Dei est veniale vel peccaret amando, & hoc non: quia nullus amor Dei quæ talis, proportionatus gradui notitiæ, potest esse peccatum veniale. Vel certe, ponamus creaturam, quæ sit indifferens ad amandum Deum, amore etiam venialium sublativo, vel ad odiendum; talis creatura non posset venialiter peccare non enim peccaret venialiter amore sublativo venialium; id enim in terminis repugnat; quomodo enim esset venialium sublativus, si ipse esset venialis. Et sicut imaginabilis est calor omnium tepiditatum sublativus, qui alicujus tepiditatis non est sublativus; ita imaginabilis est amor venialis, venialium sublativus. Neque peccaret venialiter alio Deum, quia odium Dei, semper est mortale.

Neque dicas, Odium Dei posse esse veniale: non inquam dicas: quia supposita advertentia plenâ, qualis hic supponitur, sicut non potest esse, ut peccatum mortale quæ tale, sit veniale; ita nec actus odii Dei potest esse venialis. Si superiores

riores suppositiones non placeant ad defendendum possibilem esse creaturam, quæ possit peccare mortaliter, & non venialiter, pone ergo hanc suppositionem. Non videtur repugnare creatura ita perfecta intra gradum intellectuales, ut nunquam possit exercere imperfectas advertentias, & imperfectum voluntarium, certè talis creatura non posset peccare, venialitate orta ex defectu plenæ advertentiæ: nam & peccaret ex defectu plenæ advertentiæ, ut supponitur, & non peccaret ex defectu plenæ advertentiæ: quia ex dignitate suæ speciei intellectualis non posset unquam habere imperfectas advertentias: esset quidem in hac creatura locus cogitationibus bonæ fortunæ, sed suppositis illis cogitationibus, jam non esset in illa locus imperfectæ advertentiæ: quid enim implicantiæ in tam perfecta creatura?

PROBAT 3. Ovideo. Dantur in Deo ita perfectæ cogitationes, ad quarum perfectionem non attingit Angelus, & ita perfectæ in Angelo, ut ad earum perfectionem non possit eniti homo, & inter homines doctos, ita perfectæ apprehensiones, quarum rudes non sint capaces. Ergo etiam inter ipsas creaturas, potest dari ita perfectæ, ut non nisi plenè advertat, quod aliæ creaturæ non habent; hæc autem, qui peccabit venialitate orta ex defectu advertentiæ? Quamvis autem qui potest majus, potest & minus; id tamen hoc non nisi sensu verum est, quando illud minus est ejusdem generis cum majori, vel quando majus necessario continere debet minus, hocque inductio ostendit. Jam autem non est necesse, ut perfecta deliberatio contineat imperfectam.

OBJICI 1. Arriaga. Ut illa creatura censeatur posse odio habere Deum, debet posse aliud bonum amare, cui Deum quodammodo contrariū apprehendat. Jam autem in amore illius boni posset peccare mortaliter vel venialiter: nam immediatè ad odium Dei, qui est summum ac infinitum bonum, non posset determinari.

RESPONDETUR. Non implicare, ut immediatè profiliatur ad odium Dei sub aliqua ratione mali representati, quantumvis non cogitur tunc de amore alius boni formali & directo, præcipuè cum Deus, quamvis sit summum & infinitum bonum, non semper tamen ut tale, representatur. Deinde argumentum hoc, non urget intentū: quia quamvis possit illi creaturæ representari aliquod bonum retrahens ab amore Dei, & ad se alliciens; sed nego implicare creaturam, quæ si allicienda sit, nō possit allici, nisi cum plena advertentia adeoq; sit allicienda non nisi cum advertentia inducente peccatum mortale.

OBJICI 2. idem. Videtur ex terminis notum, quod qui potest peccare mortaliter, possit & venialiter: nam ea natura quæ non terretur gravi malitiā, quo minus amplectatur objectum, multo minus terretur minori.

RESPONDETUR. Negando Assumptum. Concedo quæ, quod ea natura, quæ non deterretur culpā gravi, non sit deterrenda culpā levi; si aliunde non sit impedita, ne committat culpam levem: impeditur autem prædicta creatura à culpa levi, quia non potest advertere advertentiā excusante à mortali, in qua suppositione loquimur.

OBJICI potest 3. Si possibilis esset creatura impeccabilis venialiter, vel esset impeccabilis venialiter, non nisi excludendo venialitatem ortam ex indeliberatione; vel esset impeccabilis venialitate etiam ex objecto. v.g. quod non posset unquam mentiri jocosè; vel impeccabilis venialiter ratione materiæ, neutrum dici potest. Non primum: quia non esset major ratio, cur non possit peccare indeliberatè, & tamen possit mendacio jocosè peccare. Non etiam secundum: quia videtur arbitraria possibilitas talis creaturæ, quæ sit determinata vel non furari, vel furari non nisi magnum: præcipuè verò, quia furtum majus, est furtum tot & tot minorum.

RESPONDETUR. Conclusio procedit de sola venialitate orta ex indeliberatione. An autem possibilis sit creatura impeccabilis etiam aliis venialitatibus, de hoc non loquitur Conclusio; posset tamen admitti talis creaturæ possibilitas: non repugnat enim fortassis creatura, quæ indecens arbitretur furari parum, non verò furari multum; & quamvis illud multum non sit nisi paucorum obolorū repetita repetitio, quia tamè collectio illorum obolorum habet formalitatem notabilis, posset fortassis esse determinata creatura non nisi ad notabile, & licet furtū oboli, & determinatio ad illum furandum, non sit nisi venialis, cum tamen determinatio ad furandum multum, non sit composita ex pluribus venialitatibus, posset esse mortalis illa determinatio, utpote respiciens collectionem notabilem, adeoque habentem jam diversam moralitatem; unde illud furtum magnum, physicè quidem esset collectio minorum furtorum, sed moraliter esset non nisi magnum furtum.

DIFFICULTAS II.

An sit aliquod subjectum cum Originali culpâ hic & nunc, non nisi venialis?

S. Thomas hic q. 99. a. 6. dicit impossibile, quod peccatū veniale sit in aliquo cum originali peccato absq; mortali. Oppositum sentit Alvarez hic disp. 191. qui salvâ pace & reverentiâ debitâ tanto Doctori, oppositum probabile reputat, consentiente Bannez 2dâ 2dæ q. 10. a. 1. dub. 2. Idem docet, Canus & alii Thomistæ, qui dicunt hanc sententiam esse creditu difficilem, quibus accedunt noster Suar. & Vasq.

DICENDUM est. *Subjectum peccati venialis potest esse etiam is qui non nisi originale habet.*

PROBARI solet 1. Quia si non posset aliquis

(H) 3 habens

habens originale prius committere veniale quam mortale, id ex eo esset: quia, ut urget S. Thomas, Homo, in primo instanti usus rationis, est obligatus sub mortali convertere se ad Deum, tanquam ultimum finem, quæ conversio si ponatur, auferet originale, si non ponatur, peccabitur mortaliter.

RESPONDERI potest, quod id non probet intentum. Tum quia. Non constat de hoc præcepto, & antequam de illo in schola discatur, ordinariè ignoratur, nec colligitur illius obligatio aut ex scriptura. Ex qua enim? aut ex natura rei: quia sicut non ex natura rei habet hoc homo, ut habeat originale, ita nec ex natura rei ad illud auferendum obligabitur: imò nec obligatur ex suppositione originalis: quia cum primum advertit aliquis se habere mortale actuale, non tenetur de illo conteri; & tamen major est obligatio ad dolendum de actuali, quam de originali: quia magis est voluntarium. estque hæc obligatio tunc non nisi, quando instat necessitas justificandi se, & aliud medium non superest ad justificationem obtinendam, non urget autem necessitas ad se justificandum primo instanti: & exstat quidem præceptum de dilectione Dei sed de implenda illius obligatione in primo statim instanti non constat. Tum quia. Quis unquam advertit ad primum instans usus rationis. Unde ad suavitatem Legis divinæ spectat non obligare tam arctè. Tum quia. Non ita opposita sententia est vera, quin etiam nostra sit probabilis. Ergo accommodans se tali opinioni, non peccaret mortaliter.

PROBARI solet 2. Eversione alius fundamenti oppositæ sententiæ: quia si non posset cum originali primo conjungi veniale, id ex eo esset: quia si talis moreretur, neque iret ad infernum: nam ille debetur non nisi actuali mortali; neque ad limbum: quia hic punit solum originale, & actualia merentur ignem, qui illic non est; non etiam iret ad Purgatorium: quia hoc justificatis debetur.

RESPONDERI potest, rationem non convincere: quia diceret aliquis cum Suar. & Vasq. spectare ad divinam providentiam non permittere, ut aliquis in tali statu decedat, dicitque Sanch. noster, Deum præscium, nullum ita affectum, decessurum esse, non statuisse illis certum locum. Quod si quæras, quid foret, si decederet? Jam hoc erit futurum conditionatum, & ad quod a nobis responderi non potest, nisi divinando, cum de hoc nihil tractet scriptura, nec Patres. Petavius diceret, puniendum igne, sicut tenet puniri & ipsos infantes decedentes sine baptismo.

PROBATUR 3. Ante perfectum usum rationis, vel datur imperfectus usus rationis, vel non datur. Si non datur, contra erit: quia experimur in pueris quod scilicet imperfectius, postea perfectius utantur ratione. Deinde, quæ ratio physica suadet in infantibus non dari usum ra-

tionis, rejiciendo id, in materialium dispositionum defectum, abundantiam humorum, & spirituum. Eadem ratio suadet prius esse imperfectum usum: defectus enim illi & excessus admittunt successionem. Quod si detur usus imperfectus rationis ante perfectum. Ergo poterit dari usus sufficiens ad veniale. Ergo antequam veniatur ad illud instans perfecti usus rationis, poterit peccari venialiter.

Neque valet, si dicas ex Vasq. Plus requirit ad discernendam malitiam venialis, quam mortalis, consequenter hominem, ante primum instans perfecti usus rationis, non peccaturum venialiter; non inquam valet si id dicas, quia quamvis non sit peccaturus titulo perfectæ cognitionis habitæ de veniali, prout contra distincto à mortali, Cur tamē non peccabit titulo imperfectæ ad malitiam advertentiæ, & titulo imperfecti liberi, ad eum modum, quo semel ebrii non perfectè discernunt malitias, peccare tamen possunt venialiter.

Quæ in contra objici possent, soluta manent in refutatione fundamentorum oppositorum posita in probationibus Conclusionis.

DIFFICULTAS III.

Possibilisne Creatura Rationalis naturæ impeccabilis?

NEgant plurimi. Suar. Lib. 3. de Ang. cap. 7. & Lib. 7. cap. 3. Vasq. l. p. d. 231. cap. 3. Molina Valent. Arubal. Salaz. Granado. Turrianus. Tann. Raynaudus. Albertin. Quiros d. l. 2. n. 180. & alii apud Ripalda d. 23. n. 31. Affirmat Ripalda cit. n. 45. Arriaga l. p. d. 5. n. 20. Becanus l. p. cap. 9. de Visione. q. 3. n. 4. favet Henze. Et ex antiquis Occam. Gabriel. Major.

Expendendæ sunt implicantie.

1. IMPLICANTIA est, ab Auctoritate Sacra, tribuente soli Deo immortalitatem, indefectibilitatem, & similia, quæ Patres accipiunt pro impeccabilitate & indefectibilitate etiam mortali.

Ad has & alias Auctoritates explicandas hæc adhiberi possent. *Primo*, Agere S. scripturam de Creaturis, quæ de facto existunt, non de creaturis possibilibus. Et sicut illi qui tenent, quod possit creatura permanens creari ab æterno, licet ex existentia æterna Filii Dei arguant Patres ejus Divinitatem, defendunt se per hoc, quod egerint Patres de creaturis quæ de facto existunt; ita & in presenti. *Secundo*, Adhiberi hoc potest, quod Patres & Scriptura agant, de immutabilitate à se, quæ soli Deo competit. Innuit hoc Ambros. tomo 3. supra l. ad Tim. 1. Quisquis immortalis est, non à se hoc habet, sed à Deo. *Tertio*, Adhiberi potest, agere Patres de mutabilitate, quæ sit, à non esse ad esse, quæ certè omni creaturæ convenit, verificaturque; etiam de creatura impeccabili, quæ transit à non esse

esse creatæ ad esse creatæ: & hoc innuit Fulgent. de fide cap. 3. ad Petrum: *Tene, inquit, omnem naturam, quæ non est Trinitas Deus, ab ipsa Sancta Trinitate creatam ex nihilo.* Et aliàs: *Ideo quippe, inquit, naturæ a Deo factæ proficere possunt, quia esse caperunt: ideo deficere; quia ex nihilo factæ sunt.* Quarto. Adhiberi potest, agere scilicet. Patres de impeccabilitate & immutabilitate creatæ, comparata ad divinam impeccabilitatem, quæ potius peccabilitas est. Et hoc desumitur ex Damasc. Lib. 2. de Fide cap. 3. *Omne Deo collatum, qui solus incorporealis est, crassum & materiale reperitur: sola enim verè immaterialis, & incorporea Divinitas.* Nihilominus nemo dubitat nostras animas, & Angelos incorporeos esse. Ita non obest ponere creaturam impeccabilem intellectualem, quantumvis antonomastice impeccabilitas Deo sit tribuenda. Quinto. Adhiberi potest; quod agant Patres de præsentibus creaturis, quæ non possunt jam reddi naturæ suæ impeccabiles, quo etiam modo explicat Ripalda cit. n. 62. locum Anselmi.

2. IMPLICANTIA est ex Thomistis. Nulla creatura potest esse regula honestarum actionum, creatura impeccabilis est regula honestarum actionum. Ergo creatura impeccabilis est nulla creatura. Jam autem universaliter, quando de subiecto conclusionis prædicatur negatio subiecti, toties res illa est impossibilis. Major probatur. Esse talem regulam soli voluntati divinæ competit, quæ sola est immutabilis, & exemplar sanctitatis. Minor probatur. Ideo Deus est talis regula: quia est impeccabilis, regulaque talis debet invariabiliter proficere bonum, actionesque quæ conformantur tali creaturæ, essent honestæ. Ergo illa esset regula.

RESPONDETUR. Nullam creaturam posse esse regulam à se: nec primam regulam, nec regulam omnis honestatis. Non potest esse regula à se: quia implicat ut esse ab alio, sit esse à se. Non potest esse prima regula: quia prima regula est: quæ non datur prior, præ regula autem creatæ, est prior increata non potest esse etiam regula creatæ, regula omnis honestatis: quia non potest esse regula honestatis divinæ: non ideo enim diceretur Deus honestè agere: quia conformaretur illi creaturæ, sed è converso. Ad eum modum, quo spiritualitatis norma, non est Angelus Deo, sed Deus Angelo.

3. IMPLICANTIA ex Vasquez. Nulla est possibilis creatura rationalis, quæ non possit apprehendere objectum turpe, efficacius ac vividius, quàm honestum. Voluntas autem impeccabilis ex se deberet apprehendere honestum vivacius, quàm turpe.

RESPONDETUR. Falsam esse Majorem, & sicut concretum ex visione Dei & creatura rationali, non apprehendit vivacius malum, quàm

bonum. Cur ergo saltem alio modo, idem non competet alicui possibili substantiæ. Deinde, Minor etiam non demonstratur, posset enim vivacius apprehendere inhonestum, & tamen necdum illud sequi; quia voluntas potest eligere minus contra quàm supponat Vasquez.

4. IMPLICANTIA ex Suar. Impeccabilitas illa non posset oriri ex Visione beata debita illi creaturæ: quia hanc deberi implicat. Non ex dilectione Dei naturali, & tamen necessaria: quia seclusa visione, nulla notitia necessitat ad amorem; non ex determinatione naturali sequendi non nisi honestum, quia objectum voluntatis extendit se etiam ad inhonestum sub formalitate delectabilis. Et si creatura hæc non datur, ergo nec est dabilis, quia ex S. Thoma, posuit Deus omnes posibles gradus entis.

RESPONDETUR. Non implicare creaturam, quæ sit exigiva perpetuò stare in dilectione Dei ratione alicujus altioris speciei impressæ de Deo; ita fortis, ut sit nata auferre propositionem objectivam, forteque esset talis (si foret possibilis) species quidditativa Dei, licet non intuitiva, de qua actum in Ethicis. Sed quia hæc species saltem divinitus auferri posset, & illà ablata non daretur jam principium impeditivum peccati, hinc commodius dicitur proficisci impeccabilitatem ex determinatione naturæ non nisi ad honestum. Et licet voluntatis, quæ nunc datur, sit objectum etiam inhonestum, sub formalitate etiam delectabilis, non tamen cujuscunque possibilis, ut videtur etiam exemplum hujus in determinatione divinæ voluntatis. Sic noster intellectus assentitur falso sub formalitate veri, & tamen habitus fidei est talis, ut falso etiam sub formalitate veri non possit assentiri, ut multi docent, ex determinatione essentiali ad verum, quod sit tale ex objecto; Ita similis determinatio ad honestum posset poni in illa creatura. Gradus item omnes entis posuit Deus genericos, non específicos; talis autem creatura, contineretur sub gradu entis abstrahentis ab omni materia physica, non tamen Metaphysica. Hæc etiam ratio alibi repetitò soluta.

IMPLICANTIA ex Granado. Creatura subiacet mutationibus physicis, neque enim alligatur iisdem accidentibus. Ergo & subiacebit mutationi morali.

RESPONDETUR. Ad salvandam mutationem moralem, sufficere nunc amare magis, nunc amare minus, & nunc, secluso amore, non nisi odisse malum. Deinde etiam Antec. dubium est quoad aliquid. Fortè enim possibilis est creatura, quæ certa exigat accidentia, & aliorum sit incapax, & illis ablatis, ipsa etiam non possit existere, ut si sit illa creatura modus, neque tamen illa creatura erit actus purus: quia habebit accidentia. Transito Antecedenti,

(H) 4

Dispa-

Disparitas est. Quia posita veritate Antecedentis, nulla potest ostendi suppositio, quæ statuat creaturam incapacem mutationum physicarum, ut non possit mutari ratione loci, temporis. Jam autem dantur suppositiones, in quibus potest non esse capax mutationis in malum, de quibus suppositionibus infra. Deinde si creatura non esset capax mutationis, perfectibilitatisque physica, non esset dependens a Deo in suo perfici, quod absurdum non sequeretur posita creaturæ impeccabilitate, hoc ipsum declaratur. Creatum ex vi suæ subordinationis ad Deum in ordine ad perfici, debet esse dependens a Deo in ordine ad perfici: hoc ipso enim non esset Deus respectu illius perfectivus, quod vel argueret in Deo imperfectionem vel in entibus exhaustionem; Si scilicet in Entibus possibilem cateroqui infinitis non reperiretur prædicatum illa creaturæ dignum. Cumque creatura sit dependens a Deo in aliis prædicatis, cur non dependebit & in perfici. Caterum hanc dependentiam ad perfici, quamvis non possit habere creatura, in ordine ad singula prædicata (unde nihil potest perfici in ordine prædicatorum essentialium) ad salvandam tamen perfectibilitatem, sufficit ut in aliis sit perfectibilis: semper enim conclusio sequitur debiliorem partem, & ad inferendum, quod sit aliquid perfectibile, sufficit esse in aliquibus perfectibile. Si autem creatura non esset capax perfectionis accidentalis, esset independens a Deo quoad perfici, non enim perfici posset quoad essentialia, ut aliunde noscitur, nec quoad accidentalia, ut supponit Antecedens. Quamvis autem creatura ponatur impeccabilis: quia tamen non ex eo esset adhuc independens a Deo quoad perfici, quoad alia, quamvis non quoad essentialem impeccabilitatem, sit, ut talis impeccabilitas non repugnet, repugnante cateroqui creaturæ imperfectibili accidentaliter.

6. IMPLICANTIA est Durandi. Cui possibilis est error & inadvertentia in intellectu, possibilis eidem est defectus voluntatis seu peccatum: quia tota radix defectuum voluntatis, est defectus intellectus. At nulla est creatura, cui non sit possibilis aliquis error. Cum nulla sit quæ omnia possible objecta comprehendat. Ergo nulla est cui non possit contingere peccatum.

RESPONDETUR. Negando Major. quæ falsa est in Beatis, qui possunt in multis ad se non spectantibus errare, suspicari (licet id Deus ordinariè non permittat) & tamen non possunt peccare. Vera ergo est Major. Si aliunde non teneatur voluntas ne peccet. Minor etiam non demonstratur: quia quamvis non sit possibilis creatura omnium comprehensiva, possibilis est, quæ non fornet iudicium nisi de iis, quæ comprehendit.

7. IMPLICANTIA est Scotistarum. Nulla creatura potest seipsa, aut alio bono creato satiari. Ergo est indifferens ad illud bonum desiderandum etiam honestum, ac proinde ad peccandum.

RESPONDETUR. Desertio boni honesti creati non est peccatum, si non sit conversio ad bonum inhonestum. Possibilis autem creatura desertiva boni honesti creati, sine conversione ad inhonestum, sed per prosecutionem alius boni honesti.

8. IMPLICANTIA, quam sibi opponit Ripalda n. 48. Nulla est voluntas rationalis, quam Deus non possit prævenire vocatione, cum sufficienti, tum efficaci. At voluntas rationalis, cui ad actum præceptum præberi potest vocatio purè sufficiens, & potest peccare, & peccabit. Ergo. Major probatur: quia nulli est debita non nisi gratia efficax, potestque præberi; Deo ita remissa cognitio honestatis, ut sequatur dissensus vocationi.

RESPONDETUR. Respectu illius creaturæ nulla erit vocatio quæ sit solum sufficiens, habebitque se per modum efficacis ipsa determinatio naturæ. Procedit autem resolutio de consensu bono naturali; & licet nulla sit creatura de facto, respectu cuius non dentur gratiæ aliquæ non nisi sufficientes; possibilis tamen est aliqua, respectu cuius omnis vocatio sit efficax, infallibilitate oriundâ ex ipsamet determinatione naturæ inclinatur non nisi ad honestum. Casu autem, quo deberet illa creatura consentire supernaturaliter, darentur respectu illius tam gratiæ sufficientes, quam efficaces: casu autem, quo daretur non nisi sufficiens, tunc non daretur consensus honestus supernaturalis, daretur tamen naturalis, petitus ex ipsamet natura impeccabili.

9. IMPLICANTIA ex Paritatibus.

PRIMA. Repugnat substantia essentialiter peccabilis. Ergo & essentialiter impeccabilis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia prioris substantiæ productio derivata in Deum tanquam in auctorem, alliniret illi imperfectionem, quod producat aliquid substantialiter defectuosum in genere moris: Creando autem creaturam impeccabilem, erit auctor boni moralis.

SECUNDA PARITAS. Repugnat substantia rationalis determinata ad amandum solum delectabile, & incapax moveri ab honesto. Ergo etiam repugnat substantia rationalis determinata ad amandum solum honestum, incapaxque moveri a delectabili.

RESPONDETUR. Si Antecedens procedat de delectabili non peccaminoso, negari potest. Si procedat de delectabili peccaminoso, Disparitas danda eadem, quæ ad primam paritatem.

TERTIA

TERTIA PARITAS. Repugnat substantia supernaturalis. Ergo & impeccabilis.

RESPONDETUR. Si quis non neget Antecedens, Disparitatem dabit: quia est pro Antecedenti Implicantia, de qua suo loco. Nulla autem implicancia ostenditur pro consequenti. Hæc omnia aliter soluta, apud cit. Ripalda vide.

Post prædictos, talem implicanciam format. Quis: Implicat substantia volitiva, quæ seipsam amare nequeat, juxta illud; Amabile bonum unicuique autem proprium. Sed solius est Dei proprium, quod semper sit honestum, illi se amare, cum solum amor divinus, nullo titulo possit esse prohibitus.

RESPONDERI potest. Quod illa creatura essentialiter impeccabilis, sit se amatura ex inclinatione quam habet creatura ad seipsam: posita tamen prohibitione, jam non poterit se amare ex accidenti illius prohibitionis, cum aliis cæteroqui sit essentialiter determinata, nihil inhonestum agere, adeoque nec se poterit contra prohibitionem amare.

INSTAT idem. Proprium est solius Dei, ut nihil possit esse illi bonum morale, quod non sit ipsi Physicè bonum, & è contrà. Creatura autem plura sunt bona physicè, quæ possunt esse moraliter mala: cum enim subjecta sit voluntati superioris Dei, potest illi prohibere suas Physicas perfectiones. Sed sola natura, cui bonum Physicum non potest esse moraliter malum, est determinata ad honestum, & impotens peccare.

RESPONDETUR. Sicut Deus non potest prohibere homini, identificatas illi perfectiones, ita nec illi creatura Physicam impeccabilitatem, aut perfectionem identificatam: casu autem quo non identificatam prohibeat perfectionem, hoc ipso, illa creatura non poterit illam perfectionem amare, utpote essentialiter determinata ad bonum. In forma autem, Nego, quod sola natura, cui bonum Physicum non potest esse malum moraliter, sit determinata ad honestum. Si enim non repugnat natura impeccabilis (ut non repugnat) si ei prohibeatur bonum ejus Physicum, evadet jam illud bonum physicum, malum morale; adeoque inamabile à creatura essentialiter determinata ad bonum. His expensis

ASSERO I. Spectat à mente Patrum, probabilius esse, repugnare substantiam creatam impeccabilem.

RATIO. Quia quamvis auctoritates Patrum explicari possunt dictis suprâ modis, simplicius illas accipiendo, videntur oppositum sentire. Quod ipsum inde colligitur. Tum quia. Omne id vitari potest, quod non est summum bonum. Est Major Aug. L. de vera Relig. cap. 9. *Bona ergo sunt, inquit, quæ vitian-*

tur, sed idè vitiantur, quia non summa bona sunt.

Nulla creatura est summum bonum, ut docet Fides, & Metaphysica. Ergo nulla est creatura, quæ vitari non possit. Tum quia. Omne quod deficit peccando, idè deficit: quia ex nihilo conditum est. Nulla creatura est, quæ ex nihilo condita non sit. Ergo nulla creatura est, quæ non deficiat peccando. Major est Fulgentii de Fide ad Petrum c. 3. *Idè creatura à Deo facta deficere possunt peccando: quia ex nihilo condite sunt.* Tum quia. Cuicumque creatura rationali præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed gratiæ. Verba sunt August. Lib. 3. contra Maxim. c. 12. Ergo falsa contradictoria: quod alicui naturæ præstetur, ut peccare non possit, est hoc naturæ propriæ, non gratiæ. Ergo ulterius natura impeccabilis, est nulla natura. Quod sic colligitur. Nulla natura est impeccabilis natura: Quia, ut dicit August. Omnis est impeccabilis per gratiam. Creatura impeccabilis, est impeccabilis natura, ut assumunt oppositi: Ergo creatura impeccabilis est nulla natura.

ASSERO 2. Dari suppositiones possibiles, in quibus ratione positivâ non demonstratur impossibilitas creaturae impeccabilis. Prima Suppositio est ex Arriaga. Quia potest esse substantia intellectiva & non volitiva. Secunda Suppositio ex Ripalda: quia scilicet in ordine intelligentium non repugnat potentia apprehensiva honesti, & turpis, eaque appetitiva, eaque determinata ad amandum honestum, & odio prosequendum turpe. Additq; hanc perfectionem posse componi cum finitudine, & dependentia à Deo. Videturq; hanc perfectionem continere complexum ex voluntate rationali & habitibus infusis.

ASSERO 3. Possibiles esse suppositiones, in quibus implicet creatura impeccabilis essentialiter. Prima Suppositio est, casu quo talis creatura ponatur ex natura sua nolle peccare, & tamen nolitio supernaturali: quia & esset illa supernaturalis nolitio, ut supponitur, & non esset: quia jam supponitur esse debita essentiæ illi impeccabili, cum supponatur ex essentiâ sua, determinata ad nolitioem nonnisi supernaturalem. Et licet quidè ex suppositione involvente ipsam supernaturalitatem, posset alicui deberi aliquid supernaturale, & ita intellectui instructo habitu supernaturali, casu quo concurrat habitus, debetur nonnisi supernaturalis actio. Sed si suppositio non involvat supernaturalitatem, ut non involuit natura impeccabilis, si ponatur illi actio debita supernaturalis, hoc ipso, non erit actio illa supernaturalis. Secunda Suppositio. Si ponatur illa creatura, respectu boni & mali habens non tantum libertatem contradictionis, sed & contrarietatis. Ratio: quia & esset impeccabilis ut supponitur, & non esset, posset

LOD
sKi
et Z:

posset enim palliatum malum amare, quod est peccare. *Tertio Supposito.* Si nonnisi ratione alicujus adjuncti sit impeccabilis, quia & esset natura impeccabilis ut supponitur, & non esset, casu quo illud adjunctum ab ea separaretur, hocque contingeret, si ex adjuncto nonnisi superaddita vocationis, redderetur impeccabilis.

QUÆSTIO III.

De sequentibus Peccatum.

Esset hic agendum, de facilitate peccandi quæ contrahitur peccando, sed de hac ubi de habitibus. Quæ propria hujus loci & alibi non tractata hic attinguntur.

DIFFICULTAS I.

De Macula & Reatu sequentibus Peccatum.

ASSERO 1. *Definitur Maculam esse deformitatem contractam ratione peccati. Non addo, habitualisne, an actualis: quia non est major ratio, cur ex uno, & non altero contrahatur. Si autem quæras, quid sit hæc ipsa deformitas? dici potest, illam in re esse ipsummet peccatum, quod habet turpitudinem & deformitatem, communicatq; cum anima, quando est in anima. Hoc ipsum*

EXPLICAT 1. Bellarm. quid sit, Lib. 1. de Amis. Grat. cap. 17. Supponitq; cum communiori, maculam nihil aliud esse, quam deformitatem, quam ponit peccatum mortale ex amissione gratiæ. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Non procedit per prima: quia quamvis divinitus stare peccatum cum gratia, adhuc peccatum adferret maculam: Esset enim adhuc peccatum illud malum & turpe moraliter, & tamen non auferret gratiam. Ergo apparet turpitudinis hujus dari priorem conceptum. Tum quia. Consequitur nonnisi ad turpitudinem peccati ablato gratiæ. Tum quia. Etiam in humanis aliud est amisisse gratiam, & aliud, maculam esse.

EXPLICAT 2. Arriaga hic d. 53. n. 11. Quod macula sit ipsum habituale mortale moraliter, seu habitualiter permanens. Additque quod hæc macula non possit propriè dici relicta ex peccato actuali, aut effectus illius: Est enim ipsum actuale moraliter permanens; nemo autem dicitur relinqui ex se, aut esse effectus sui.

NON SATISFACIT. Tum quia. Cui bono additur habituale habitualiter permanens: hoc ipso enim: quia habitualiter permanet, habituale est, & e converso. Tum quia. Hæc macula per Arr. non potest esse relicta ex peccato actuali; non etiam ex peccato habituali: quia cum sit per ipsum macula ipsummet habituale,

quomodo erit ex illo relicta, cum nihil dicatur per eundem relinqui ex se, & tamen vel ipse S. Thomas hic q. 86. a. 1. & q. 69. a. 1. supponit maculam causari à peccato. Tum quia. Si potest rationalitas esse causa risibilitatis, quamvis idem sit realiter cum risibilitate; Cur & macula non dicitur propriè oriri ex actuali, quamvis sit idem cum illo: quia una eademque res, ratione diversarum formalitatum, potest habere formalitatem & causæ Metaphysicæ & effectus.

EXPLICAT 3. ex mente S. Thom. cit. q. 86. conformiterq; ad datam definitionem. Quamvis in ratione talis entis inter corporea & spiritualia nulla sit æqualitas, tamen est aliqua proportio & convenientia fundata tam in hoc: quia participant rationem communem entis, quam in hoc, quia nos spiritualia & abstracta sensibus concipimus per modum materialium, ut ita modus cognoscendi, sequatur modum essendi; jamque spiritualia cum materialibus habebunt convenientiam, quoad modum, quo concipiuntur; huncque modum concipiendi, sequitur convenientia, & idem denominativum. Ita. Porro in corporalibus, macula propriè dicitur, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem, inquit S. Thomas, quæ perditio non debet esse per ipsius corporis non existentiam: Nam non existentia non dicitur jam maculata; sed debet esse perditio nitris fundata in ipsomet existente corpore, quod sit ex contactu alterius corporis maculativi. Hinc etiam in spiritualibus ad similitudinem hujus oportet maculam dici. Et sicut in corporalibus nitor est multiplex; ita & nitor animæ. Possimus in primis concipere intrinsecum quandam nitorem, qui stat in refulgentia luminis naturæ rationalis per quam dirigitur in suis actibus, ut inquit S. Thomas; huic lumini opponit se dissonantia actionis ad naturam intellectualem. Si se opponit huic nitori, debet esse macula animæ stans in deformitate ipsius dissonantiæ ad naturam intellectualem inclusæ in actu peccaminoso. Est alius nitor animæ, ut ita dicam, adventicius, & hic est ex refulgentia divini luminis, inquit S. Thomas: scilicet sapientiæ & gratiæ: nitori sapientiæ supernaturalis, opponit se actio peccaminosa, quia non attendit ad ejus dictamen, amplectiturque malum pro bono, redditque stultum: ut stultescit, qui lutum putat aurum. Verificaturque illud Scripturæ. *Nos insensati.* Nitori autem gratiæ opponit se ipsum peccatum natum expellere gratiam. Sicut macula corporalis pulchritudinem corporis, idcircoque fit, ut peccatum sit macula per ordinem ad naturam intellectualem, sapientiam, & gratiam.

ASSERO 2. *Dari maculam peccati.*

RATIO. Quia macula nihil aliud est nisi peccatum in quantum habet rationem deformis & turpis, ex oppositione ad naturam intellectualem.

reale, hunc à Deo datum, pulchritudinem gratiæ. Sed datur peccatum &c. Ergo.

ASSERO 3. *Duplicem esse maculam, mortalem & venialem.*

RATIO. Tum quia. S. Thomas hic q. 89. a. 1. concedit etiam veniale secundum quid maculare. Tum quia, etiam veniale habet suam dissonantiam, adeoque deformitatem. Tum quia, etiam in corporabilibus potest esse maculatio gravis, & levis. Quæ in contra obijci possent, legantur apud S. Thomam.

Ad reatum quod attinet.

ASSERO 1. *Quod reatus, nihil aliud sit quam obligatio, seu debitum pænæ, ratione peccati commisi.*

RATIO explicationis. Quia etiam in aliis materiis, ubi non intervenit mutuum, per ly reus, intelligitur debitum pænæ. Ergo & in presenti idem dicendum. In re autem hæc obligatio est ipsamet actio peccaminosa prout subiecta juri divino, & potestati vindicativæ: quia si non circumstantionaretur, non esset à quo proficeretur illa pænæ, consequenter nec esset debitum pænæ. Nec inde sequetur, non posse remitti peccatum, quin remittatur reatus: quia potest remitti culpa in quantum est fundativa juris ad offendi, & non in quantum subiacet juri vindicativo, ut etiam fit in humanis. Commodius autem explicatur reatus per dictam obligationem & debitum, quam per dignitatem ad pænæ: quia dignitas ad pænæ, est quasi quid activum illius reatus, tenetque se potius à parte causæ. Unde etiam rigore loquendo, non potest Deus facere, ut peccator non sit dignus pænâ: Nam ipsa prædicta peccati, imbibunt in se illam dignitatem, & tamen potest facere suâ condonatione, ne habeat reatum pænæ.

ASSERO 2. *Dari reatum.* Tum quia. De facto puniuntur homines pro peccatis, sed non iniuste. Ergo cum debito & obligatione pænæ: hæc autem obligatio est reatus. Tum quia. In omni Republica, malis debentur pænæ. Tum quia. Datur in Deo justitia vindicativa, alias non haberet omnem perfectionem possibilem Deus, nec posset esse caput Reipublicæ rationalis, si scilicet non posset nec deberet vindicare. Ergo datur in exorbitantibus obligatio pænæ, adeoque reatus.

Exprefit hoc totum S. Thomas discursu hic q. 87. a. 1. qui sic elucidatur. In rebus naturalibus id, quod confurgit in aliquid, ab eo detrimentum patitur, hocque experientia probat in caloris & frigoris pugna, hoc fundat reactionem & repassione, semperque est penes id victoria, quod habet rationem excedentis & dominativi: Hoc ipso enim quia vincit, non tantum non deficit, sed habet rationem excedentis subjugantisque sibi aliquid. Ethæc est pri-

ma Classis pugnantium. Secunda Classis pugnatum est inter homines, & ex naturali inclinatione inter homines fit, ut unusquisque deprimat illum, qui contra illum confurgit, quæ depressio est interdum moralis, malè loquendo, taxando &c. interdum physica. Unde etiam in ludis, nemo contentatur, nisi deprimat antagonistam. Tertia Classis est confurgentium in genere moris, quæ confurrectio convenit peccatis, respectu debiti ordinis cui opponitur peccatum. Unde per naturalem inclinationem ille ordo, & princeps ordinis, vult deprimere peccatum: non enim est ratio, cur alia principia, si aliquid contra illa insurgat, deprimant rebelle, & non ordo, princepsque ordinis, contra quem confurgit peccatum. Si autem deprimat peccatum ille ordo, hoc ipso illud punit, quæ quidem depressio, inquit S. Thomas, pænæ est. Quod si considerentur ordines, contra quos confurgit peccatum. Primus est, ipsa ratio propria rectitudinis: hæc deprimat peccatum per conscientie remorsum. Secundus est, Leges humanæ, quibus attendentes gubernatores humani, puniunt peccatum. Tertius ordo est Legis divinæ, Deusque peccatorem si deprimat, punit, si punit: cum non iniuste faciat, dabitur in peccatore obligatio pænæ, adeoque reatus. Hæc ex S. Thoma.

ASSERO 3. *Non esse æqualem reatum in omnibus peccatis.*

RATIO. Tum quia. Pænæ non sunt æquales, quæ tamen attendunt ad reatus qualitatem, quod vult script. Apoc. 18. v. 15. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum dare illi tormentum &c.* Tum quia. Non omnia peccata sunt æqualia. Ergo nec pænæ illis æquales, adeoque nec æqualis illis reatus præsuppositus pœnis. Tum quia. Ad hoc ordinantur à natura pænæ, ut per repassione pœnarum satisfiat æqualitati. Sed si esset in omnibus peccatis æqualis pœnia & reatus, non fieret satis huic ordini: Si enim per peccatum omne, non ponitur eadem æqualitas in culpa, & tamen pænæ omnes unicuique delicto infligerentur, hoc ipso per repassione non fieret satisfactio ad æqualitatem, sed exsuperativæ essent pænæ, quia si imparibus paria addantur, nascitur inæqualitas.

ASSERO 4. *In omnibus damnatis esse æqualitatem pænæ reatusque, stantem in carentia visionis.*

RATIO. Quia omnis damnatus dicit carentiam omnis Visionis divinæ, demeritumque.

ASSERO 5. *Esse in damnatis inæqualitatem carentiæ visionis, si spectetur secundum gradus, quibus privantur damnati.*

RATIO. Quia poterat unus habere jus ad centum gradus, alter ad duos.

ASSERO 6. *Inæqualitatem carentiæ visionis spectatam secundum gradus, augere quidem pœnam extensivè, sed inde non debere taxari majoritatem pænæ.*

RATIO

RATIO prioris. Quia major est extensivè carentia, quæ pluribus gradibus privat. Ratio posterioris est: quia alias magis puniretur, qui totâ vitâ sanctissimè vixit, commisitque nonnisi unum mortale, quàm is, qui totâ vitâ multiplicavit peccata.

ASSERO 7. *Gravitatem pœnæ debere spectari penes majorem intensioremque dolorem, profectum ex æstimatione boni amissi.*

RATIO. Tum quia. Pœna non visi Dei, stat in dolore de non viso Deo. Ergo & major pœna in majore dolore. Tum quia. Positâ æqualitate in hoc, quod est videre Deum, inæqualitas in Beatitudine essentiali sumitur ex eo, quod unus plura videat in Deo, magisquæ amet. Ergo & per proportionem idem dicendum de pœna damni. Tum quia. Si ponatur mera carentia Visionis sine æstimatione boni perditæ, & dolore, nulla erit pœna quæ dolorem contribuat. Ergo majoritas doloris secundum præviā apprehensionem, adferet majoritatem pœnæ.

DIFFICULTAS II.

Pœna sequens mortale, potestne esse infinita?

Idem titulus sic aliter proponitur. An mortale, in ratione de meriti seu digni pœnâ, sit infinitum simpliciter.

DICENDUM 1. *Non esse infinitum simpliciter, per se loquendo*, ita Arriaga de Incarn. d. 3. n. 17. Contra Suar. 1. 2dæ d. 2. de Peccatis sect. 3. n. 11. Aldrete disp. 4. f. 3. de Incarnatione.

PROBATUR 1. Quia, vel accipitur hic infinitudo peccati ita conveniens peccato, ut non possit convenire meritis vitæ æternæ, vel non accipitur talis. Si accipitur talis, ut possit convenire meritis vitæ æternæ. Ergo non est infinitum simpliciter, quia nemo dicit infinita esse simpliciter merita nostra: vel accipit infinitatem convenientem nonnisi soli peccato. Et hæc non potest ostendi unde per se accipitur; nec habet demeritum; sub ratione demeriti ullum principium, à quo per se infinitetur. Non enim à persona offensæ: quia hæc quæ talis nonnisi per se formalis rationem offensæ, taxatque tantitatem compensationis, ut suppono ex notitia offensæ. Non etiam infinitatur ex eo, quia poterat Deus ut Judex, prohibere lethale sub pœna longè acerbiori, quàm nunc eam patiantur damnati, & sic in infinitum: Nam hæc ratio non probat, quod peccatum mereatur pœnam infinitam simpliciter, sed infinitam secundum quid. Deinde negari posset, quod acerbiores, & acerbiores possit Deus ex titulo Judicis assignare pœnas: Obstat enim locus citatus: Quantum se glorificavit, tantum date illi tormentum. Quicquid ergo supra adderetur, esset supra illud, quantum glorificavit &c. Adeoque supra Justitiam, præcipuè si esset notabiliter majus.

Hocque sentiunt Arriaga, Lugo, & Vega s. de Justif.

PROBATUR 2. Meritum in ratione meriti dum versatur circa Deum, non exinde jam habet titulum per se, ad infinitum præmium. Ergo nec demeritum per se dignum est pœna infinita.

PROBATUR 3. ex principiis Aldr. Non est peccatum infinitum in ratione offensæ. Ergo nec in ratione demeriti erit infinitum per se. Antecedens adlatum tenet nonnisi ad hominem, quia in nostris principiis est falsum.

OBJICITUR 1. cum Aldr. Infinita dignitas personæ operantis, ita communicat infinitum valorem operibus Christi, ut quilibet actus Christi mereatur de se infinitas uniones Hypostaticas. Ergo etiam cum peccatum mortale mereatur omnem pœnam possibilem, erit infinitum in ratione demeriti.

RESPONDETUR. Negando quod mortale mereatur omnem pœnam possibilem: neque enim habet demeritum unde per se infinitetur, actiones autem Christi habent principium infinitativum.

OBJICITUR 2. cum eodem. Peccatum lethale, condignè meretur pœnam damni æternam, & aliunde infinitam, nempe carentiam Visionis, & Hypostaticæ Unionis. Ergo meretur pœnam infinitam.

RESPONDETUR. Ad merendam pœnam æternam à parte post, sufficere demeritum finitum simpliciter, cum etiam illa duratio semper sit finita. Carentia Visionis, & Unionis Hypostaticæ, est terminativè infinita pœna; sed non est pœna infinita, quæ desumatur ex dolore infinito, ob amissionem tantorum bonorum, de quo in præsentī quæritur.

OBJICITUR 3. cum eodem. Si mortale non meretur pœnam infinitam, posset æqualis pœna respondere infinitis venialibus, ac unico peccato mortali.

RESPONDETUR. Non esse possibile infinita peccata venialia, & etiam si essent possibile, non mererentur pœnam damni, siquæ essent meriti illius, hoc ipso transirent in mortalia: nemo enim tam grave damnum sine gravi malitia posset velle. Cæterum datis infinitis venialibus, si pro singulis, singulis momentis patientum foret, mererentur pœnam sensus infinitam duratione, adeoque æqualem durationi pœnæ pro mortali, cæterum pœnæ pro mortali, ratione intensiōis, & adjunctæ pœnæ damni, graviores essent.

OBJICIT 4. idem. Gravis offensæ in Deum est ejus naturæ, ut quævis satisfactio puræ creaturæ nunquam exæquet offensam. Ergo nec exæquabitur ullâ pœna.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia taxa satisfactionis, mensuratur dignitate offendentis, comparata ad offensum, qui supponitur esse

esse infinitus. Jam autem quod taxat per se pœnam, est malitia demeriti, quæ non supponitur esse infinita.

INSTAT idem. Supernaturale meritum puri hominis condignè meretur eternam gloriam, consequenter infiniti actus supernaturales, merentur infinitè intensam gloriam. Ergo cum peccatum mortale plus contineat mali in æstimatione morali quam quæ reperitur in infinitis meritis puri hominis, necesse est ut mereatur condignè pœnam infinitam.

RESPONDETUR. Mortale sub formalitate offensæ superare quodcumq; meritum, cum sit infinitum in ratione offensæ, merita autem finita. Sed merita possunt superare demeritum in ratione præcisa & per se meriti, si cum majori advertentia, affectu, intentione &c. fiant.

OBJICITUR 5. Peccatum est infinitum in ratione offensæ per nos. Ergo & in ratione demeriti.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia habetur unde infinitetur offensa, non autem habetur unde per se infinitetur demeritum.

DICENDUM est 2. *Ex adjuncto, nempe ratione formalitatis offensæ, peccatum mereri infinitam pœnam duratione.*

PROBATUR 1. Quia defacto dicit Scriptura, quod detur tantum tormentorum, quantum se aliquis glorificavit. Ergo cum defacto pœna sit duratione infinita, debebit dari reatus illius seu pœna, saltem ex accidenti, merens illam infinitatem.

PROBATUR 2. Quia in similibus malitiis attenditur, ut pœna sit suo modo proportionata offensæ. Ergo cum nulla sit proportio infinitæ offensæ ad pœnam etiam durationem finitam, debebit mereri pœnam saltem duratione infinitam.

PROBATUR 3. Quia nisi ponatur, quod saltem ex accidenti mereatur mortale pœnam æternam duratione, non poterit ostendi ratio, cur Deus justè puniat reprobos æternis pœnis.

DICENDUM est 3. *Quod mortale non mereatur pœnam infinitam quoad intensiorem, etiam ex accidenti.*

PROBATUR 1. Quia si mortale mereretur pœnam infinitè intensam saltem ex accidenti, tunc determinatio, quod nonnisi tanta sit, esset specialissimus favor Dei, & tamen oppositum suadet Scriptura; tantum date illi tormentorum, quantum &c.

PROBATUR 2. Quia illud etiam, quantum ex se non meretur peccatum, quod est impossibile; impossibilis autem est intentio infinita pœnarum.

PROBATUR 3. Quia in mortali non tantum est conjuncta ratio offensæ, sed simul etiam reperitur ratio malitiæ. Cumque offensa per accidens taxet pœnam, per se autem eam taxat malitia, ut utraque formalitas sibi proportio-

natè influat in pœnam, malitia finita, finitam debuit taxare pœnam quoad intensiorem, infinita autem offensa taxare debuit infinitam durationem. *Sed demus Hypothesim, possibilem esse pœnam infinitam in intensiōe, diceretur mortale illam mereri?* Si eadem taxandi ratio servetur, non merebitur.

RATIO. Quia adhuc illud mortale in ratione malitiæ erit finitum. Si autem supponatur, Deus velle taxare intensiorem, ex ratione offensæ, jam deberetur illi mortali pœna infinita in intensiōe; quia proportionari debet suo modo ad dignitatem offensi, infinito autem nihil proportionatum nisi infinitum. Taxando autem durationem ex ratione malitiæ, hæc duratio deberet esse finita: quia malitia quæ taxat eam durationem esset finita. *Sed possetne Deus taxare & durationem & intensiōem, attendendo ad rationem solam offensæ?* Quod possit sub formalitate Domini, dictum in materia de Pœnitentia. Sed sub formalitate pœnæ, non posset.

RATIO. Quia cum Deus non per se taxet pœnam, sed ex accidenti, debet se accommodare per se taxativo, nempe malitiæ, quæ supponitur esse finita. Deinde si daretur peccatum infinitum non solum in ratione offensæ, sed etiam in ratione malitiæ, non posset aliter puniri, nisi pœnâ infinitâ in intensiōe & duratione. Ergo cum non sit infinitum in ratione malitiæ, debet esse diminutio: & sicut non est liberum dignitati divinæ, taxare venialitatem, æquæ per suam dignitatem, ac mortale; ita nec liberum, stante finitudine malitiæ, taxare pœnam omni parte infinitam: Quamvis autem homo debeat se resolvere ad patiendam pœnam infinitè intensam, potius quam ad peccandum mortaliter, id non ex eo est, quasi mortale mereatur pœnam infinitam, sed quia in hoc pati, nulla est inhonestas, est autem in peccare.

OBJICITUR 1. Peccator meretur annihilari. Ergo etiam meretur pœnam infinitè intensam.

RESPONDET ARRIAGA: Inquirendo, an annihilatio sit minor præ illa intensiōe infinita, vel major, vel æqualis. Si minor, erit argumentum à minori ad majus, viâ affirmationis. Si major vel æqualis, negat Antecedens. Circa autem objectum propositionis, an annihilatio sit major pœnâ infinitè intensâ, ita discutitur, quod scilicet minor sit pœna annihilatio: quia existentia cum talibus tormentis nihil boni adfert. SED ALITER AD IDEM OBJECTUM DICI POTEST. Quod in ordine physico, majus sit malum annihilatio: est enim negatio cujuscunque boni Physici: sed in ordine morali attendente ad dolorem & pœnalitatem pœnæ infinitè intensæ, majus est malum illa existentia, cum negatio existentia non possit adferre

dolorem. Paritas etiam negari potest: quia annihilatio est possibilis, non est autem possibilis pena infinitè intensà.

OBJICITUR 2. Jus ad infinitam Beatitudinem si quis haberet, totum illud amitteret per unum mortale, ea autem pena esset infinita.

RESPONSUM suprà. Fore illam penam infinitam terminativè, non formaliter: quia dolor de illa amissione non esset infinitus. Deinde, ex suppositione impossibili, quæ supponit jus ad infinitam beatitudinè, sequitur aliud impossibile, quod mereatur unum mortale penam infinitam, quia meretur amissionem illius juris.

OBJICITUR 3. Si tota illa pena, quæ producitur totà æternitate, infligenda esset unico instanti, esset infinitè intensà. Ergo peccatum meretur infinitam intensiorem.

RESPONDETUR. Hoc ipso jam non fore penam illam infinitam in duratione, à nobis autem negatum meritum penæ infinitè intensæ, si esset possibilis, quæ simul secum traheret durationem infinitam. Deinde, medius etiam terminus non convincit: Non enim tenet ratio, ut quod justè sit successivè, justè fiat simul. Sicut nec tenet ex eo, quod in infinitum possit dividi quantitas, illam secundum communia principia posse dividi actu.

QUÆRIT 1. ex hac occasione Arriaga. *An sit melius unico instanti torqueri infinità penà? An verò totà æternitate torqueri ut centum.* Dicitq; melius esse torqueri uno instanti: quomodo enim id quod in actu oculi transit, & non relinquit vestigium, sed quodammodo citius perit, quam sentiri incipiat, comparari potest cum cruciati æterni? Item, si quis vellet unico instanti videre Deum visione infinitè intensà, & postea illum non videre. Cum distinctione dici potest. Si comparentur inter se, sequens desitio penæ cum perpessione successivæ penæ. Melior est desitio penæ illius infinitæ. Sed si comparentur infinitudo intensiōis cum negatione infinitudinis, melior est negatio infinitudinis.

QUÆRIT 2. Idem cum Lugo, & aliis. *An pena damni in ratione penæ sit major præ pena sensus?* Affirmatque, penam damni esse minorem. Sed oppositum sentiendum.

RATIO. Quia ex communi apprehensione fidelium, pena damni major censetur esse, quam sensus. Unde etiam illa vox inter viros spirituales invaluit. Quod si Deus conjungeret visionem & amorem Beatum cum penis inferni, infernus evaderet cælum: & si conjungeret penam damni cum aliis cælestibus delictis cælum sine Deo redderetur infernus: quæ communes apprehensiones, non debent refelli nisi ratio urgeat. Tum quia. Si componantur inter se perceptio doloris, qui est ex non viso Deo, & perceptio doloris ex pena ignis, incomparabiliter est major pena damni, non so-

lùm ratione boni amissi, sed etiam ratione conditionis doloris: dolores enim mentis incomparabiliter majores sunt, doloribus sensus. Cum etiam ipse dolor sensus proveniat ex eo, quia anima eundem dolorem causat &c. Tum quia. Rationes in oppositum non convincunt. Quod enim dicitur, penam sensus magis esse necessariam & debitam homini, quam visionem Beatificam, hoc sensu verum est: quia scil. visio est bonum excedens, & non bonum sensus, ex suppositione tamen divinæ ordinationis, gratiarum collatarum, finis creationis, magis est ad hæc necessaria & debita visio: quia est fundativa majoris indigentia, expetibilitatis, &c. Quæ item ratio probat, quod non fundet majorem dolorem penæ damni. Deniq; fides docet, esse dolorem de privatione visionis, & tamen nemo dolet nisi de sibi debito, aliquo modo, & de eo quo indiget. Si ergo agnoscant dolorem de privatione visionis, agnoscere debent eam suo modo debitam, beneq; colligent, majorem esse de illa perdita penam: quia ex eo solum dicunt non esse majorem, quia non est debita. Quod autem adfert Arriaga. Majorem esse penam, si in extrema necessitate auferatur alicui fragmentum panis, quam si ablatis fuissent ante centum imperiales. Licet plus valeant centum imperiales. Id non convincit. Nam hic & nunc ille præferret panem, centum imperialibus, hicq; & nunc habetur major panis indigentia. Nego autem præferri posse carentiam penæ, sensus, penæ, & quidem penali, visionis Beatificæ, Negoq; haberi hic & nunc majorem appetibilitatem non dolendi penæ sensus, quam non dolendi penæ damni.

QUÆRITUR 3. *An peccator fiat indignus omni possibili bono.* Præcipue autem, si vellet annihilare Deum. Sed quia, ut dictum est, non est dignus omni possibili penà, nec infinità intensiōe; habetq; jus, ne omni intensiōe penæ puniatur, hoc ipso, non redditur indignus omni possibili bono. Rursus, cum hoc ipsum, quod est velle annihilare Deum, sit factura creatura rationalis per actum in malitia finitum, necdum mereretur penam infinitam duratione & intensiōe: quæ enim major posset illi assignari penæ, quam si id vellet malitiā simpliciter infinità.

DIFFICULTAS III.

Justenè Deus punit penā æternā damnatos?

Articulus Fidei est à Metaphysica detrahibilis: quod justus sit Dominus, & rectum judicium ejus. Ad Theologum spectat, reddere rationem justificandæ penæ. Videtur esse comodissima id probandi ratio ea, quam proponit Arriaga, & Salianus, L. 2. de Tim. Dei, c. 10. recurrendo ad rationem offensæ gravis, contra personam infinitam.

Hæc

Hæc ratio. Si ut sonat accipiatur, non convincit in principiis Arriaga. Quia ille non tenet peccatum esse infinitum in ratione offensæ, quomodo ergo debetur illi infinita pœna justa? Deinde, posset Deus remittere culpam, & adhuc justè punire pœnâ æternâ. Quî ergo hoc justè facit, si justitia puniendi sit in sola culpa. Deinde, infinita persona offensæ non ponit dignitatem ad pœnâ infinitè intentam, per ipsum Arriaga. Quo ergo titulo statuet dignitatem ad pœnam infinitam duratione. Insuper ratio præcisæ offensæ non fundat pœnam per se, sed malitia actionis quâ talis, offensæque fundat per se nonnisi obligationem satisfaciendi dignitati læsæ; hinc non ex eo impossibilitas satisfactionis pro mortali urgetur, quia meretur pœnam infinitam duratione. Sed quia persona offensæ est infinita, finitus lædens & satisfaciens. Imò absolute loquendo, præcisæ ratio malitiæ potest esse minor in peccato, quàm bonitas in actu bono; consequenter, si sit malitiæ aliquid sublativum, erit etiam sublativum pœnæ: quia sola malitia fundat per se pœnam, indubie autem potest fieri actus amoris, isque supernaturalis, ex majori præcognitione, cum majori affectu, quam factum fuerit odium Dei. Hinc ille amor esset sublativus, per suam bonitatem, malitiæ odii, consequenter & pœnæ præfundatæ in illa malitia. Denique, casu quo offendatur persona Regis, potest deveniri ad tales pœnas, ut quavis in Regno non sit major dignitas regalitate, tamen ita augeatur pœna, ut transeat in crudelitatem. Cur ergo non transit in crudelitatem æternitas pœnæ? etiam salvo hoc quòd Deus offendatur.

Prædicta Ratio sic defenditur.

Nunquam ponitur offensæ justa, quin ponatur malitia actionis, ut suppono ex Moralibus, & supra dictis, præcisæ tamen ratio offensæ inducit nonnisi obligationem satisfactionis per se, ut dictum supra. Cæterum tamen ex accidenti fundat taxam pœnæ, offensæ, quæ conjungitur malitiæ, taxatque illam cum respectu, quâdamque proportionem ad personam offensam. Et quia hæc proportio dignitati infinitæ non potest esse nisi infinitudo pœnæ. Quid enim infinito proportionatur nisi infinitum. Hinc cum non fundet offensæ illa infinita adjuncta malitiæ gravi, infinitudinem pœnalitatis in intensione fundabit eam in duratione. Concedo, quòd quavis sit maxima dignitas in Regno regalitatis, possit tamen pœna inflicta esse crudelitas, sed id est ex eo: quia illa dignitas est finita, adeoque superabilis ex judicio prudentum; sed æternitas pœnæ, non tantum non superabit, sed nec æquabit dignitatem infinitam, idque infinitudine actuali, cum tamen duratio prædicta sit futura semper actu finita. Poterit autem Deus remittere jus ad offendi, & non omittere jus ad punire; quia hæc sunt duo diversa jura, licet ab eadem malitia peccati, connotata. Si autem non remittat jus ad punire, potest pro taxativo pœnæ accipere ipsam offensam, quæ quoad culpam est remissa, non remissa quoad jus puniendi, adeoque quoad jus taxandi pœnam. Cæterum si Deus remitteret offensam non tantum quoad culpam sed & quoad jus puniendi & taxandi pœnam, non haberet jam tunc titulum, pro mortali puniendi pœnâ æternâ.

